


ORATIONES AESCHINIS ET DEMOSTHENIS INTER SE CONTRARIÆ

à Dionysio Lambino Monstroliensi litterarum Græcarum in schola Parisiensi interprete, & doctore Regio in Latinum sermonem conuersæ.

Ad Michaëlem Hospitalem Galliæ cancellarium, virum clarissimum.




Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ, κρατερῷ τ' αἰχμητῇ.

LVTETIAE CIↃ. IↃ. LXV.
Apud viduã Guil. Morelij in Græcis typographj Regij.

ERRATA SIC CORRIGITO

pag. 8. *habes in murorum refectionem,*
9. *coarguunt &*
14. *quæ in contionem*
26. *Sed cùm primùm in Eubœam*
31. *ei oppigneraverunt*
51. *paucorum dominationi studen-*
59. *scriptum est, scriba vobis*
88. *quámque iustam*
96. *plana fient.*
101. *habuit tum in Græcos*
131. *& speciosas nacti, principatum ad*
140. *difficilibus reip. temporibus*
144. *& tres expediendæ*
149. *& cogitare vnà cum*
159. *incedo: quo*
ibid. *præbuisset, eo ipso*

D. Lambinus MICHAELI HOSPITALI GALLIAE CANCELLARIO SAPIENTISSIMO, DOCTISSIMO, ET ELOQVENTISSIMO VIRO S. D.



Emoriæ proditum est à bonis auctoribus, Michaël Hospitalis, priscos illos Gallos, maiores nostros vltimos, Herculem optimè de hominum genere meritum, quem Ogmium sua lingua appellabant, non dissimili, atque Græcos, religione coluisse: sed longè dissimili tamen habitu & figura conformatum pingere consueuisse. Eum enim admodum senem, partim caluum, reliquo capillo canescentem, rugosum, & torrida cute aridum pingebant, adeò vt Iapeti cuiusdam, aut Saturni, non Herculis speciem præberet. Neque verò est quòd quisquam suspicetur, quemuis potius, quàm Herculem, hac pictura expressum fuisse. Cultus enim atque ornatus planè erat Herculis: quandoquidem & pelle leonis amictus erat, & dextra clauam tenebat, & læua arcum gerebat, & ex humero pharetra pendebat. Quid multa? si imago solida esset, si in ea sanguis & spiritus, & ratio inessent, Hercules germanus erat. Habebat hęc pictura aliud admirabile, & pęne dicam, incredibile. Ingẽtem hominum multitudinem auriculis religatam trahebat. Vincula porrò erant catenulæ tenues ex auro & electro affabrè factæ, monilibus pulcherrimis similes. Homines autem illi tametsi catellis ita infirmis & fragilibus traherentur: neque fugam meditabantur tamen, cùm facile effugere possent, si vellent: neque aut toto corpore resistebant, aut pedibus contrà nitebantur, in aliam partem, quàm quò ducebantur, sese resupinantes: sed contrà, libentes, læti, & alacres ducem sequebantur, quasi ei, qui ducebat, si modò id ex pictura intelligi posset, gratulantes, quasique eum laudantes, atque hortantes, vt ducere, quò vellet, perseue-

raret:ſtudio ſequendi ita vincula laxantes, vt & ducem anteuertere velle,&, ſi ſoluerentur, moleſtè laturi eſſe viderentur. Sed ne id quidem prætereundum eſt, quod in ea pictura abſurdiſsimum erat. Nam cùm pictor nihil, cui ſummam catenam annecteret, haberet, quoniá dextram claua, læuam arcus iam occupaſſet, extrema Herculis lingua perforata, fecit illos ex ea trahi, Herculis facie in eos obuerſa, hilara, & ſubridente. Ac talis quidem pictura fuit. Significabat autem primùm vim orationis eſſe maximam, ac tanto viribus corporis maioré, quanto Hercules Mercurio robore corporis antecellit: deinde facundiam ſenilem ſolam eloquentiæ nomine dignam eſſe, ſolámque eloquentiæ vim obtinere: neque id immeritò. Ea enim demùm vera eſt eloquentia, quæ cum prudentia & ſapientia coniuncta eſt. At prudentia & grauitas, propria ſenectutis eſt, quemadmodũ temeritas & leuitas florẽtis ætatis: quod teſtatur his verbis etiã poëtarum princeps Homerus, ὁπλοτέρων φρένες ἠερέθονται, *iuuenum mens vana, leuíſque.* Itaque quantumuis licet nõnulli iuuenes interdũ flumine inaniũ verborũ admirationé multitudinis excitent, aſſenſúmq; atque approbationem vulgi moueant, à prudentibus tamen exiſtimatoribus neque oratores iudicari debent, neque eloquentes, ſed potius moleſti rabulæ de foro, & inepti clamatores. Hoc vidit idem ille poëta, qui ſeni Neſtori orationem melle dulciorem affingit, non illam iuuenibus vſitatam, hoc eſt prudentia vacuam, atque è labris naſcentem, ſed planè ſenilem, id eſt, prudentiæ, conſiliíque plenam, & grauiſsimas ex alto mẽtis receſſu ſententias elicientem, atque explicantem. Quo nomine princeps ille Græciæ Agamemnon optat vt decem habeat non Aiacis, ſed Neſtoris ſimileis quod ſi cõtigerit, confidit ſe breui Troia potiturũ. Idẽ Troianos oratores facit vocẽ λειριόεσσαν mittere: quaſi quis dicat lilij inſtar candidam, & foridam: quid aliud ſignificans, quàm orationem ſenilem non vnà

cum

cũ corpore deflorefcere, atq; exarefcere, fed vnà cũ prudentia, quã affert fenectus, virefcere ac florefcere? Quid quòd idem eofdem cicadis fimileis effe dicit? nónne quamuis obfcurius, & φιλοσοφικώτερον, fine controuerfia tamen innuit fenum maximè propriam effe eloquẽtiam natura? Cicada enim eò quòd fit animal frigidum, tenue, macilentum, atque exfangue natura, fenectutem defignat. itaque Tithonum poëtæ fingunt diu viuendo in cicadam effe conuerfum, fignificantes eum ætate longifsimè procefsiffe. longa enim ætas hominum corpora minuit atque extenuat. quod autem idem fit fonorum, vocale, mufìcum, & canorum, fenes effe fuapte natura facundos ac difertos declarat. Itaque fidicini cuidam interea dum fidibus caneret, chorda vna, quam fortè pulfauerat, rupta, aiunt cicadam, quafi citharœdo illi fubfidio veniffet, fonum, quem chorda rupta non reddiderat, ftrepitu fuo fuppleuiffe. Sed redeo ad Herculem. Eum igitur Galli noftri, illos dico indigenas, &, vt Græco verbo dicam, αὐτόχθονας, exiftimabant fapientifsimum & eloquentifsimum quendam virum fuiffe: & vel omnia, quæ ab eo armis gefta & confecta effe fabulantur poëtæ, fapientia, & oratione adminiftraffe ac tranfegiffe, vimq́ue hominibus non claua, non iaculis, non viribus corporis, fed dicendi facultate, verbis, perfuadendo intuliffe: (erãt enim verba, celerrima illa, & acutifsima tela fcilicet, quæ in animos hominum ferorum penetrabãt, quæ animos agreftium configebant, ac fauciabant:) vel, fi quando arma capere, atque expedire coactus fit, ea fic ratione, & confilio, & eloquentia temperaffe ac rexiffe, vt neque vnquam ab humanitate receflerit, & femper belli fufcepti fecundum, atque optatum exitum habuerit. Et rectè. Quid enim minus credibile eft, quàm, non dicam Iouis filium, fed eum virum, quem pofteritas propter fingularia, & plurima in genus hominum merita immortalitati confecrauit, atque ad cælum extulit, folis corporis

viribus vsum, monstris, & talibus pestibus orbem terrarum liberasse? tyrannos, & iniustos, & maleficos homines armis & ferro subegisse? Nam si nihil præter id, quod lacertis, & corporis robore gestum sit, diuinos honores, & immortalem gloriam mereatur, multo præstabãt Herculi gigantes illi θεόμαχοι, & res longè maiores, atque admirabiliores conficere poterant. Sed non ita est. Illorum enim vim prudentiæ, atque eloquentiæ expertem, ira deorum, id est sapientium virorum prouidentia perculit atque afflixit: Herculis autem vireis ratione & consilio temperatas, & cum eloquentia coniunctas, dij immortales adiuuerunt, eóque prouexerunt, vt & à feritate, atq; iniustitia orbem terrarum vindicarit, & immortalitatem sibi compararit. Ne multa, flexanima illa, omniúmque rerum humanarum regina, eloquentia, præsertim senilis, primorum illorum hominum vitam soliuagam, iniustam, violentam, latrocinijs infestam, turbulentam, ac ferinam ad cultum ciuilem, iustum, legitimum, tutum, pacatum, tranquillum, atque humanum reuocauit, vrbeis condidit, iura descripsit, leges rogauit. Huius igitur tanti boni, ac propè diuini, Michaël Hospitalis, quòd te videbam in Gallia nostra principatum obtinere, Regíque nostro Christianissimo Karolo nono, adolescenti optimo contigisse in consilio dando non modò Nestorem, sed Gallicum quendam Herculem, cuius sapientia diuina, eloquentiáque senili, & præterita reip. vulnera sanare, & præsentia incommoda leuare, & futura prouidere, ac propulsare possit, quódque mecum sæpe recordabar quantum tibi bonarum litterarum, omniúmque liberalium artium, & linguarum eruditarum doctores ac magistri, quos hæc schola Parisiensis innumerabileis habet, & maximè Regij, debeant: cùm vellem tibi meum erga te gratum animum declarare, neq; quicquam haberem te dignum, quod ad te mitterem: duas tamen inter se contrarias duorum totius Græciæ eloquentissimorum AEschinis & Demosthenis orationes

supe-

ſuperioribus diebus à me, dum eas meis auditoribus explico, in latinum ſermonem conuerſas, tibi donare, ac dicarę conſtitui, non vt tu homo occupatiſsimus eas legeres, qui, ſiquid tibi vacui temporis daretur, Græcas potius, quàm Latinas, præſertim meas, legeres: ſed primùm vt ex hoc qualicunque munere ſingularē meam referendæ tibi gratiæ voluntatem perſpiceres: deinde vt tuum vetuſtum erga ſcholam Pariſienſem ſtudium, atq; amorem omnibus notum, & teſtatum, non illum quidem è memoria tua depoſitum, aut obliuione obrutum, ſed occupationum tuarum magnitudine, ac multitudine nonnunquam retardatum, atque interruptū renouarem, ac refricarem: in qua aduenę quidam & peregrini homines, qui omneis vias pecuniæ conciliandę norunt, cùm oporteat peregrinum in aliena rep. nō eſſe curioſum, nedum alienum appetere, & parteis alienas ſibi præripere, duobus ſpecioſis, & plauſibilibus nominibus vſurpatis, religionis, & doctrinæ, Rectore huius nobiliſsimæ ſcholæ, ijſque, qui gymnaſijs præſunt, inuitis, ludum diſcendi nuper aperuerunt: iuuētutem incautam, diſcendi cupidam, litterarúmque ſtudio flagrantem blanditijs, & inanibus promiſsis à gymnaſijs antiquis auocatam, atque auerſam ad ſe pelliciunt: quaſi verò aut doctores & magiſtri Lutetiæ deſint, aut ij, qui ſunt, non infinitis partibus ſint arrogantiſsimis iſtis & vaniſsimis hominibus doctiores: aut Galli, qui omnium honeſtarum diſciplinarū, bonarúmque artium gloria excellunt, niſi à peregrinis, & barbaris iſtis doceantur, indocti ſint futuri: aut tutius ſit Gallos, ſuos liberos tradere & committere docendos ignotis & alienigenis, quàm notis & in eodem ſolo natis: aut maiores noſtri hæc tam multa, & ſumtuoſa litterarum gymnaſia eo conſilio ædificarint, vt vel eſſent murium domicilia, vel à peregrinis, ciuibus eiectis, occuparētur: aut ſuperiores Galliæ reges non eo animo tot ſingularia iura, quę priuilegia vulgò appellam⁹, in ſcholā Pariſienſem contulerint, vt ea à quàm maxima docentium ac di-

ſcentium multitudine celebrarentur, maximéque florerent: aut clariſsimi viri doctores Regij Adr. Turnebus, Io. Auratus, P. Ramus, Io. Mercerus: ceteri, quos enumerare longum ſit, fruſtrà à Rege docendi muneri præpoſiti ſint: multa præterea contra morem atque inſtituta maiorum magno non ſolùm huius ſcholæ Pariſiẽſis, ſed etiam totius vrbis detrimento moliuntur, & committũt, dum neſcio quo diplomate (quod theologi noſtri improbarunt) freti, vltro ingredi geſtiunt in ædeis alienas, vt inquirant & explorẽt quid quiſque de cæremonijs antiquis & religione ſentiat, dum ſe neque legibus vllis teneri, neque magiſtratibus vllis obtemperare debere, neq; à quoquam in ius vocari poſſe, &, vt Græci dicunt, ἀνυποδίκους καὶ ἀνυπευθύνους eſſe prædicant: quaſi verò aut alium habeamus in Gallia dominum, ſecundum deum, quàm Regem noſtrum, Karolum: aut princeps vll9 externus nouas leges nobis imponere, & nouæ ſectæ inuentores in vrbibus Galliæ, atque adeò in ceruicibus noſtris collocare ſuo iure poſsit: aut deſint nobis probata, & iam vſu recepta religioſorum virorum collegia, & ſodalitia, quæ quamuis magno oneri ſint populo, ſuſtinentur tamẽ à nobis, fouẽtur, atq; aluntur cùm propter vetuſtatẽ, tùm propter pietatẽ, tum ob cognationẽ, & generis cõmunionem: aut quos habet Lutetia theologos doctiſsimos, & clariſsimos, ij neſciãt quæ ſit vera & recta de pietate ſentẽtia, quæque approbata Chriſtiani hominis inſtitutio. Sed hac de re nimis fortaſſe multa, præſertim hoc loco. Te pro tuo in ſcholã Pariſienſem, & in totam Galliam ſtudio, oro atq; obſecro, vt huic quoque cogitationi in tuis maximis curis aliquid impertias temporis, vt prouideas, ne hæc quondam celeberrima & florentiſſima ſchola, in qua amplificanda atque ornanda reges Galliæ ſuperiores tantopere elaborarunt, noſtra negligentia vaſtetur, & defloreſcat. Vale.

A R-

ARGVMENTVM ORATIONIS AESCHINIS RHETORIS IN CTEsiphontem, incerto auctore, D. Lambino interprete.



Tesiphon scitum fecit, vt Demosthenes Demosthenis F. Pæanieus corona aurea donaretur, ciúsque coronæ prædicatio in theatro fieret ludis Liberi patris, tragœdis iamiam in scenam prodituris, & recitaturis: quia assiduè res populo Atheniensi optimas atque vtilissimas & diceret & ageret. Huius populi sciti nomine Ctesiphontem in iudicium adduxit AEschines, tanquam contra leges scripti. Affert autem summa capita, & causæ firmamenta tria: vnum, quòd Ctesiphon Demosthenem rationum referendarum iudicio obligatum corona donandum censuerit, cùm lex vetet, magistratum rationibus referendis obligatum corona donari: atque hoc caput pertinet ad quæstionem, an sit. Secundum, quòd coronam in theatro à præcone pronuntiandam censuerit, cùm lex vetet, quenquam in theatro coronari: & hoc pertinet ad quæstionem qualitatis. Tertium & postremum, quòd falsa decreto complexus sit. Non enim Demosthenem esse fortem, aut bonum virum, neque corona dignum. Referendum autem etiam hoc est ad crimen de decretis contra leges factis, quoniam lex quædam est, quæ vetat falsa in decretis perscribere. Pertinet porrò hoc ad quæstionem quale sit. Obiectiones autem occupat treis. Ad primum quidem illud, duas: nempe dicturum Demosthenem, se non esse functum magistratu: & murorum reficiendorum munus, non esse magistratum, sed ministerium quoddam & curationem. quòd si demus, esse magistratum: at quia de suo sumtum fecerit, & id, quod impenderit, expensum non tulerit, neque à ciuitate recuperarit, non esse se rationibus referendis obligatum. quod vtrunque ad quæstionem an sit, pertinet. His autem opponit caput coniecturale, quod tamen non probat: Demosthenem nihil de suo largitum esse, sed à senatu decem talenta attributa habuisse. hoc etiam pertinet ad quæstionem an sit. Contra secundum autem firmamentũ AEschinis, cùm Demosthenes legem aliam proferat iubentem, aut certè permittentem, coronam pro-

nuntiari in theatro, si populus auctor fuerit: AEschines negat, hãc legem esse de coronis Vrbanis aut ciuilibus, sed de externis. hoc & ad quæstionem an sit, pertinet. Ad tertium caput multa singillatim affert Demosthenes. Suspicatur autem AEschines, aitque sibi nuntiatum esse, Demosthenem, defensionẽ in quattuor tempora tribuisse, singulásque actiones atque administrationes reip. in hæc tempora partitum esse. Ac primum quidem tempus dicit esse belli primi tempus, quod bellum Athenienses cum Philippo de Amphipoli gerebãt, à Demosthene, & Philocrate compositum ac sedatum: Secundũ, tempus pacis vsque ad illum diem, quo die Demosthenes pace diremta belli auctor fuit: Tertium, belli secũdi, & cladis ad Chæronéã acceptæ: Quartum, præsens tempus, quod versatur in ijs rebus, quæ populo Atheniensi cum Alexãdro intercedunt. In primo igitur illo tempore, ait eum pacis causam fuisse, quæ turpis esset & ignominiosa. causam præterea fuisse, quam obrem eam ciuitas in Græcorum communi consessu, cõsilióque non fecerit. In secundo, bellum aduersus Philippum conflauisse. In tertio, belli sacri, & eorum, quæ Phocensibus acciderunt, & cladis ad Chæronéam acceptæ causam fuisse, adductis & impulsis Atheniensibus, vt bello aduersus Philippum suscepto, & societate belli cum Thebanis facta, coniunctis copijs prœlio cum illo decertarent. In postremo tempore, quieuisse, tacuisse, ciuitati denique neque re, neque consilio profuisse, cùm ei, si Alexandrum odio persequeretur, populúmque amaret, de patria bene merendi summa facultas daretur, absente Alexandro, & in Asia lõgè gentium bellum gerente. Deinceps totam Demosthenis vitam insectatur & reprehendit: ipsius etiam Ctesiphontis, sed breuiter & paucis: in quibus postulat à iudicibus, vt ipse pro se dicat, neque Demosthenem patronum adhibeat. Summa igitur huius orationis hæc est, præcipuáque, quibus est vsus AEschines, capita, hæc sunt. Causam autem obtinuit Demosthenes. Reprehenditur porrò à quibusdam AEschines, quòd in criminibus de decretis contra leges scriptis non hæserit, sed actiones, & res gestas Demosthenis vituperarit, & accusarit, cùm ille remp. bene gesserit: hic tamen contrà hac in re robur, & firmamentum suæ causæ collocat, his verbis: Restat autem mihi pars accusationis, in qua multum studij, operæque pono. hæc autem pars, causa est, propter quam causam Demosthenes

nes

nes se corona dignũ esse dicit. *Sed verendũ est, ne hoc AEschines rectissimè atque vtilissimè fecerit. Quoniam enim hæc erat omnium de Demosthene existimatio atque opinio, eum lautißimè, amplißimè, & magnificentißimè remp. administrasse, non immeritò putauit frigidam, leuem, nulliúsque ponderis omnem suam de decreto contra leges scripto orationem futuram, nisi hanc hominum opinionem in eorum animis insitam euelleret, & nouam insereret, nempe Demosthenem ciuem esse maleuolo in populum Athen. animo, turpitérque & perditè remp. administrasse. Iccirco in hoc maximè elaborauit, & in hac accusationis parte plurimum immoratus est. Omnino reprehendere possit aliquis procemium, vt tragicum & nimis elaboratum, & accuratum, & epilogi speciem præbens potius, quàm exordij.*


Orationis status est negotialis in scripto positus, quemadmodum & orationis pro Ctesiphonte. Capita autem & firmamenta causæ habet eadem, quæ & illa, nempe legitimum: quod in treis leges diuiditur: & iustum, quod in tria tempora tribuitur. Vide autẽ vt ad epilogum accommodatè potius, quàm ad procemium orsus sit, ab aduersariorum insectatione, & vituperatione, quemadmodũ & Demosthenes. Quidam dixerunt procemium expers esse rationis, seu probationis: ideóque ne conclusionem quidem in eo esse quærendam.. Sed errant. ibi enim est ratio: Nequid moderati, nequid vsitati in ciuitate fiat. *Nam si propositionis causa, ratio est: iccirco autem obsecrationes adhibentur, ne moderata, & vsitata in ciuitate fiant, dicendum est hanc esse rationem. Habet autem & conclusionem.* Ego autẽ tum dijs immortalibus, tum legibus, ac vobis fretus, &c. *Vsque ad illa,* plus apud vos, quàm leges, &c.

ALIVD ARGVMENTVM EX M. TVLLO CICERONE.

Cùm esset lex Athenis, nequis populi scitum faceret, vt quisquam corona donaretur in magistratu prius quàm rationes retulisset: & altera lex, eos, qui à populo donarentur, in cõtione donari debere: quia in senatu Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eósque refecit pecunia sua, de hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab illo ratio-

nibus relatis, ut corona aurea donaretur, eáque donatio fieret in theatro, populo conuocato: qui locus non est contionis legitimæ: atque ita prædicaretur, eum donari virtutis ergò, beneuolentiæ'que, quam is erga populum Athenienſem haberet. Hunc igitur Cteſiphontem in iudiciũ adduxit AEſchines, quòd cõtra leges ſcripſiſſet, vt & rationibus non relatis corona donaretur, & vt in theatro: & quòd de virtute eius & beneuolentia falſa ſcripſiſſet, cùm Demoſthenes nec vir bonus eſſet, nec bene meritus de ciuitate. Cauſa ipſa abhorret illa quidem à formula conſuetudinis noſtræ, ſed eſt magna. Habet enim & legum interpretationem ſatis acutam in vtramque partem, & meritorum in rempub. contentionem ſanè grauem. Itaque cauſa fuit AEſchini, cùm ipſe à Demoſthene eſſet capitis accuſatus, quòd legationem ementitus eſſet: vt vlciſcendi inimici cauſa nomine Cteſiphontis iudicium fieret de factis, famáque Demoſthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quàm de eo, quòd ciuis improbus, vt optimus, laudatus eſſet. Hanc multam AEſchines à Cteſiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: ſed iudicium factum eſt aliquot annis pòſt, Alexandro iam Aſiam tenente: ad quod iudicium concurſus dicitur è tota Græcia factus eſſe. Quid enim tam aut viſendum, aut audiendum fuit, quàm ſummorũ oratorum in grauiſsima cauſa, accurrata & inimicitijs incenſa cõtentio? Quorum ego orationes ſi, vt ſpero, ita expreſſero, virtutibus vtens illorum omnibus, id eſt, ſententijs, & earum figuris, & rerum ordine, verba perſequens eatenus, vt ea non abhorreant à more noſtro: (quæ ſi è Græcis omnia cõuerſa non erunt, tamẽ vt generis eiuſdem ſint, elaborabimus) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Atticè volent dicere. Sed de nobis ſatis. Aliquando enim AEſchinem ipſum Latinè dicentem audiamus.

ORATIO



ORATIO AESCHINIS RHETORIS IN CTESIPHONTEM, A DIONYSIO LAMBINO LATINA FACTA.



Vantæ copiæ comparatæ ſint, quantáque acies inſtructa, quanta denique contentione certi homines vos orẽt, atque obſecrent, Athenienſes, nequid vſitati, nequid moderati in ciuitate fiat, videtis. Ego autem tum dijs immortalibus, tum legibus ac vobis fretus, huc prodij, nullum ſtudium, nullúmque apparatum plus apud vos, quàm leges & iura valere exiſtimãs. Vellem porrò, Athenienſes, & curia quingentûm virûm, & contiones ab ijs, qui his pręſunt, rectè adminiſtrarentur: vellem præterea, leges, quas Solon de oratorum modeſtia, pudoréque tulit, valerent: primùm vt ei, qui ætate longiſsimè proceſsiſſet, in contionem pudenter ac modeſtè prodeunti, ſine ſtrepitu, ac tumultu, pro eo rerum vſu, quem ſibi comparaſſet, optima ciuitati conſilia dare liceret: deinde vt cuiuis ex reliquis ciuibus ſeparatim pro ſua cuiuſque ætate, ſuóque loco ſingulis de rebus, quæ propoſitæ ſint, ſententiæ dicendæ poteſtas daretur. ſic enim mihi videtur & ciuitas optimè regi poſſe, & accuſationes rariſsimę futuræ. Sed quandoquidem res antea ſine cõtrouerſia optimæ, nunc conuulſæ ſunt, & certi homines nulla religione, nullóque pœnę metu deterriti, decreta contra leges perſcribunt, atque hæc alij neſcio qui confirmant, & rata faciunt, non qui iuſtiſsimis vijs ac rationibus principem in ſenatu locũ ſortitò ade-

A

pti sunt, sed qui coitione facta, dedita opera, & ex comparato in consilio sedent: ac si quis aliorum senatorum legitimè sortitione facta in principem senatus locū peruenerit, vestráque suffragia verè renuntiarit, ei isti, qui reip. moderationem non iam omnium communem, sed propriè suam ducunt esse, delationem nominis minitantur, ac denuntiant, plebem in suam ditionem ac potestatem redigentes, & dominationem, principatúmque sibi vendicantes: atque ea quidem iudicia, quæ ex legibus oriuntur, labefactāt: in ijs verò, quæ ex decretis proficiscuntur, iracundiæ suæ seruiunt atque obtemperant: silet autem vox illa præconis, omnium, quæ in vrbe sunt, & pulcherrima & modestissima, QVIS EX IIS, QVI ANNOS AMPLIVS QVINQVAGINTA NATI SVNT: QVIS RVRSVS EX ALIIS ATHENIENSIBVS SVO QVISQVE LOCO SENTENTIAM VVLT DICERE? Oratorum denique petulantiam iam neque leges, neque ciuitatis moderatores, neque principes senatus, neque tribus, quæ principem locum obtinet, pars decima ciuitatis, continere potest: Quādo igitur hæc ita se habent, eiusmodíque sunt tempora ciuitatis, cuiusmodi vos esse ipsi intelligitis: vna gerendæ reip. via ac ratio reliqua est, siquid ego intelligo, vt decretorū contra leges factorum iudicia retineamus. quòd si hæc quoque vos vel tolletis, vel eorum, qui tollere conantur, potestati permittetis: prædîco vobis ac multo antè denūtio, vos certis hominib⁹ vniuersæ reip. statum imprudenteis tradituros. Scitis enim, Athenienses, tria esse apud omneis homines reip. administrandæ genera: regnum, paucorum principatum, populi dominationem ac libertatem: Ac regnū quidem, paucorúmque principatus, eorum, qui præsunt arbitratu & modo gubernantur: ciuitates autem eæ, quæ populi ditione ac potestate reguntur, legibus latis obtemperant. Nemo igitur vestrûm ignoret, immo verò sibi quisque persuasum habeat, quo die accusatio de decretis contra leges

factis

factis in iudicium deducta sit, illo die eum, qui causam sit cogniturus, & iudicaturus, de sua ipsius libertate, dicendíque potestate sententiam esse laturum. Idcirco lator legis in iudicum iureiurando primo loco hoc posuit: SECVNDVM LEGES SENTENTIAM FERAM, illud exploratum habens, ciuitatis legibus conseruatis, saluam quoque esse populi dominationem: quæ quidem vos memoria teneteis oportet eos, qui decreta contra leges scribunt, acerbè & vehementer odisse, nullum denique horum criminum leue, immo verò & grauissimum & improbissimum esse existimare: postremò hoc ius neminem vobis hominem pati eripere, non imperatores patrocinio talium hominum suscipiendo, (qui dũ se quibusdam oratoribus administros & adiutores prębent, remp. labefactant) non hospites orando atque obsecrãdo, (quos quidam producentes, rep. contra leges administrata, è iudicijs elabuntur.) Et vt vnumquemque vestrûm, quo in præsidio ab imperatore constitutus esset, ab eo præsidio discedere puderet, ita & vos pudeat ab eo loco discedere, quo in loco à legibus hodie collocati estis, popularis dominationis vindices atq; custodes. Simul illud facite vt perpetuò recordemini, ciuitate apud vos deposita, & rep. vobis credita, alios ciueis adesse, atque huic iudicio interesse, alios abesse, familiaribus & priuatis negotijs impeditos: quos vos, per deos immortaleis, reuerentes, & iuris iurandi, quo obstricti estis, legúmque memores, si Ctesiphontem populi scitum fecisse & contrarium legibus, & falsum, & inutile ciuitati ostendemus: rescinditote Athenienses decreta legibus contraria, populi dominationem ciuitati cõstabilite: de ijs, qui reip. gerendæ rationem neque ad leges, neque ad ciuitatis, neque ad communem omnium vestrûm vtilitatem referunt, pœnas sumite. Qua quidem mente si ea, quæ dicturus sum, audieritis, certo scio, vos æquam, religiosam, vobis ipsis, totíque ciuitati vehementer vtilem sententiam esse laturos. Ac de vniuersa quidem ac-

cuſatione ſatis multa à me dicta eſſe puto: de legibus autem, quæ ad eos, qui rationum referendarum iudicio tenentur, pertinent, contra quas hoc ſcitum fecit Cteſiphon, paucis iam mihi eſſe dicendum videtur.

CVM maximis olim magiſtratibus nonnulli fungerentur, Athenienſes, atque in vectigalibus adminiſtrandis quæſtus turpiſsimos ac ſordidiſsimos facerent, ſibi porrò ad eam rem tum è plebe, tum è ſenatu oratores ſocios adiungerent, rationum referendarum iudicia laudibus & præconijs anteuèrtebant, ita vt, quo tempore eos reddere rationes oporteret, accuſatores, & multo quidem maximè iudices, quò ſe verterent, neſcirent. Plerique enim eorum, qui referendarum rationum iudicio tenebantur, pecuniæ publicæ fures manifeſtò deprehẽſi, iudicia tamen effugiebant. Neque id ſanè mirum. iudices enim pudebat, opinor, eundem illum, de quo nuper ludis publicis prædicaretur, eũ virtutis & iuſtitiæ cauſa aurea à populo corona donari, in eadẽ vrbe, eodẽ anno fortaſſe, non longo certe pòſt interuallo, è iudicio furti cauſa repetundarum cõdemnatũ diſcedere videri. ita in ſentẽtia ferẽda iudices nõ crimen notare, ſed ſuo, populíque pudori conſulere cogebantur. hoc cùm animaduertiſſet legiſlator quidam, legem tulit, præclaram illam mehercule, & vehementer vtilem, quæ aperte vetat, ne, qui rationes nondum retulerunt, corona donentur. Et cùm hæc tam prudenter à legiſlatore prouiſa, & præoccupata ſint, quorundam aucupia verborum tamen, legibus ſuperiora ac potentiora reperta ſunt: de quibus niſi quis vos admonebit, imprudentes fallemini. horũ enim, qui referendarum rationum iudicio alligatos, coronandos cenſent, reperiuntur nonnulli modeſti ac pudentes natura, (ſi quis eorum, qui decreta contra leges ſcribũt, modeſtus eſſe poteſt.) ſed tamen exiſtũt nonnulli, qui rei turpitudinem honeſta oratione tegunt. Decretis enim quippiam huiuſmodi aſcribunt, eum ſe corona donandum cenſere, qui rationes referre debet, poſteaquàm ratio-

rationes eorum, quæ in magiſtratu geſſerit, retulerit. Atqui pari vtrobique iniuria ciuitas afficitur. laudibus enim & coronis rationum referendarum obligationes, iudiciáque præuertuntur. Veruntamen qui decretum ſcribit, ijs, qui audiunt, oſtendit, nõ negare ſe contra leges à ſe ſcriptum eſſe: nonnullo quidem certe ſe peccati pudore affici. Cteſiphon verò, Atheniẽſes, & lege, quæ ad eos, qui rationes referre debent, pertinet, neglecta ac violata, & ea excuſatione, quam ego vobis paullo antè expoſui, prætermiſſa, decreuit vt Demoſthenes priuſquam rationum referendarum iudicio abſolutus eſſet, etiam tum magiſtratum gerens, corona donaretur.

ALIAM porrò orationem, quæ aliquantùm cum ſuperiore pugnat, afferẽt: Siquis electus quippiam ex plebiſcito gerat, id non magiſtratum, ſed curationem atque adminiſtrationem quandam eſſe: magiſtratus autem eſſe dicẽt & eos, quos theſmothetæ in Theſei fano ſortitione facta mandant, & eos, quos populus Athenienſis ſuffragio in comitijs creare ſolet, nempe cùm imperatores, & magiſtros equitum, & magiſtratus cum his coniunctos creat: reliqua autem omnia, negotia eſſe duntaxat, ex populi ſcito iniuncta. Ego verò iſtorum orationi legem veſtram opponam, quam eo cõſilio tuliſtis, vt huiuſmodi cauſas ac defenſiones diſcuteretis ac præcideretis: in qua diſertè lator legis, MAGISTRATVS (inquit) SVFFRAGIO CREATOS: vno nomine omneis cõplexus: & omneis, opinor, magiſtratus appellans, quos populus Atheniẽſis ſuffragijs & manu porrigenda creat. ET PVBLICIS (inquit) OPERIBVS PRAEFECTOS: atqui curator eſt muris reficiendis Demoſthenes, operi omnium maximo præfectus. ET QVISQVIS ALIQVID, QVOD CIVITATIS SIET, AMPLIVS TRIGINTA DIES ADMINISTRAT: ET QVICVNQVE IVRIS DICENDI, RERVMQVE IVDICANDARVM POTESTATEM HABET

A POPVLO DATAM. (præfecti autem operibus, omnes iuris dicendi poteſtatem adepti ſunt.) Quid hos iubet facere? non miniſtrare, ſed ſpectatos, atque in iudicio probatos magiſtratum gerere. (nam ne ij quidem, quibus ſorte magiſtratus obuênit, niſi bene cogniti, & re probati magiſtratum gerunt.) iubet rationem dare, iubet apud ſcribam, eóſque, qui rationum referendarum iudicio pręſunt, quemadmodum & alios magiſtratus, rationes in tabulas inferre. Atque vt me vera dicere cognoſcere poſsitis, ipſæ vobis leges recitabuntur. L E G E S. Quando igitur quos legiſlator magiſtratus appellat, iſti negotia & procurationes nominabunt, veſtrũ erit, legem commemorare, legem eorum impudentiæ opponere, ſubijcere eis denique, non probari vobis, neque audiri callidum verborum artificem, ac ſophiſtam, ſperantem ſe verbis leges euerſurum. ſed quanto quiſque maiorem dicendi facultatem habeat, tanto vos in eum, ſiquod ſcitum contra leges fecerit, grauius iratos fore. Oportet enim, Athenienſes, idem loqui legem, & oratorem. Vbi verò aliam vocem lex, aliam mittit orator, vobis cónuenit æquitatem legis impudentia dicẽtis in ſententia ferenda eſſe potiorem. Sed pauca mihi antè dicẽda ſunt ad illud valde difficile, pænéque inexplicabile, quod dicturus eſt Demoſthenes. Ego (inquit) muris reficiendis curator præfectus ſum. fateor: ſed ego idem minas centum largitus ſum ciuitati, & opus mea opera curáque auctum atque amplificatum eſt. Cuius igitur rei rationem referre debeo? niſi forte aliqua beneuolentiæ ratio referenda eſt. Ad hanc igitur cauſam & defenſionem, quàm iuſtam, quámque vobis vtilem diſſolutionem afferam, attẽdite. In hac ciuitate tanta, & tam antiqua, nemo eſt eorum, qui ad remp. quomodocũque acceſſerit, referendarum rationum iudicio ſit ſolutus. id quod vobis primùm in ijs, quæ ab omniũ opinione abhorrent, demonſtrabo. Sacrificos & ſacrificas iubet lex hoc iudicio teneri, & generatim omneis, & vnumquenque

que ſingillatim, qui duntaxat honorarium aliquod conſequuntur, qui preces & vota pro vobis dijs immortalibus nuncupant. neque ſolùm priuatim, ſed etiam cõmuniter genera, Eumolpidas, præcones, & reliquos omneis. Rurſus trierarchos rationes referre iubet, non qui publica tractarunt, neque qui è vectigalibus veſtris multa ſubſtrahunt, pauca in ærario reponũt, largiri ſe de ſuo dicunt, cùm veſtra haud dubie vobis reddant: ſed qui ſine controuerſia paterna bona in ſtudio laudis & gloriæ, quam ex ſua erga vos liberalitate exſpectant, conſumũt, ac profundunt. Neque verò trierarchi ſoli, ſed & maxima omnium, quæ in ciuitate ſunt, conſilia, iudiciorum auctoritatem ac ſententiam ſubeunt. Primũ enim ſenatũ Ariopagiticum, apud ratiocinatores rationes referre iubet, eúmque, qui illic triſtis ac ſeuerus, rerúmque maximarum dominus eſt, ſententijs veſtris ſubijcit. Quid? ergo non donabitur corona ſenatus Ariopagiticus? nõ. neque enim hoc illis patrium aut vſitatum eſt. An non laudis ſtudio ducuntur? ducũtur ſanè. Verùm non eſt eis ſatis ſiquis apud eos non peccet: ſed ſiquis peccet, eum ſupplicio afficiunt. At veſtri oratores impunitate, licentiáque exſultant, luxúque diffluũnt. Praeterea curiam quingentûm virûm iudicio rationũm referendarũ ſubiecit lator legis, atque ita huic hominum generi, qui nondum rationes retulerunt, diffidit, vt ſtatim in principio legum diſertè vetet, ne magiſtratus, qui hoc iudicio tenetur, peregrè proficiſcatur. Deus bone, dicet aliquis, propterea quòd magiſtratum geſsi, mihi peregrè proficiſci non licebit? Non. ne ſcilicet cãpta antè pecunia ciuitatis, vel rebus & actionibus occupatis atque interceptis, in fugam te conijcias. Rurſus eum, qui hoc iudicio non ſit abſolutus, vetat bona ſua conſecrare, vetat quicquam de ſuis bonis dijs dicatum in templis appendere, vetat adoptari, vetat facere teſtamentum, & alia pleraque: denique, vt vno verbo complectar, eorum, qui hoc iudicio tenentur, bona donec rationem retulerint, ciui-

tati pigneratur. Esto: sed reperitur aliquis, qui neq; quicquam pecuniæ publicæ cæpit, neque quicquam impendit: tantum ad aliquam reip. partem accessit. Etiam hũc rationes confectas ad ratiocinatores afferre iubet. Quo pacto qui nihil accepit, nullúmque sumtum fecit, rationem ciuitati referet? Lex ipsa subijcit ac declarat, quæ scribenda sint. iubet enim hoc ipsum in tabulas referre, nihil ab eo publici acceptum esse, nihil expensum. Eorũ enim, quæ in ciuitate sunt; nihil est, quod sub iudiciũ rationum referendarum non cadat, nihil quod anquisitione vacet, nihil denique, quod non seuerissime probandum, atque examinãdum sit. Atque vt hæc ita esse intelligatis, leges ipsas audite. L E G E S.

QVARE cùm se Demosthenes insolentius iactabit, & magnopere confidere videbitur, dicétque se propter liberalitatem ac munificentiam suam, referendarum rationum iudicio non teneri, illud statim ei opponite: Ergo te, Demosthenes, sinere oportebat præconem rationibus præfectorum patrium illud & legitimum præconiũ vsurpare, QVIS ACCVSARE VVLT? pátere, quemlibet è ciuibus tecum disceptare, & contẽdere, te nihil de tuo largitum esse: sed de multis, quæ accepta habes, in murorum refectionem pauca impendisse, cùm decem talenta hoc nomine tibi à ciuitate attributa acceperis: ne liberalitatis laudem præripe: ne tabellas iudicibus è manibus eripe: ne in administranda rep. leges antecede, sed sequere. hæc enim populi dominationem, statúmque reip. tuentur & conseruant. Hæc igitur ad inaneis ac futiles istorum causas & defensiones hactenus à nobis dicta sint. Istum autem hoc decretum interposuisse tum cùm Demosthenes re vera iudicio de rationibus referendis tenebatur, pecuniæ scilicet theatrali præpositus: & cùm muris reficiendis curator erat, neutriúsque horum munerum rationem neque dederat neque retulerat, ego iam vos ex tabulis publicis docere conabor. Ac mihi recita quo prætore, quo mense, quo die,

die,qua in contione,pecuniæ theatrali populi ſuffragijs præpoſitus fuerit Demoſthenes, vt intelligere poſsitis, Demoſtheni in medio eius magiſtratu à Cteſiphõte coronam eſſe decretam. Recita. RATIO DIERVM. Etiam ſi non progreſſus fuero longius, nihílque vobis aliud, quàm quod audiuiſtis, demonſtraro, iure optimo damnare Cteſiphontem poteſtis. non enim eum accuſatio mea, ſed publicæ tabulæ coargunt & condemnant. Erat igitur olim, Athenienſes, ciuitati cuſtos populi ſuffragijs conſtitutus, qui ſingulis tribuum imperijs vectigalia in tabulas publicas ad ærarium perſcribebat: verùm propter ſummam illam fidem, quam Eubulo habuiſtis, ij, qui pecuniæ theatrali præerant, ante Hegemonis legem, cuſtodis munere fungebantur: coactores & quæſtores erant: naualibus erãt præfecti: armamẽtarijs ædificandis præerant: poſtremò viarum quoque muniendarum curam gerebant: tota denique propemodum ciuitas ab ijs adminiſtrabatur. Neque hæc ego eorum accuſandorũ aut reprehendẽdorum cauſa dico, ſed quo vobis illud oſtendam, latorem legis, ſi quis vnius vel infimi magiſtratus rationes referre debeat, nolle eũ priuſquàm rationes reddiderit, atque in tabulas publicas intulerit, corona donari. At Cteſiphon Demoſtheni, qui omneis vno tempore magiſtratus gerebat, coronam decernere non dubitauit. Muris igitur reficiendis fuiſſe tum curatorem Demoſthenem, cùm iſte hoc populi ſcitũ fecit, pecuniæ publicæ præfuiſſe, multarum conſtituendarum, vt & ceteros magiſtratus, ius habuiſſe, iuríſque dicendi, & rerum iudicandarum poteſtate præditum fuiſſe, harum ego rerum teſteis vobis ipſum Demoſthenem & Cteſiphontem citabo. Charonda prætore III. Kalend. Maias contione aduocata, populi ſcitum fecit Demoſthenes, vt ſexto & quinto Nonas Maias, tribuum cõcilium haberetur, atque eo ſcito præſcripſit, vt ex vna quaque tribu certi homines deligerentur, qui operũ publicorum, & murorum reficiendorum, & pecuniæ publi-

cæ tractandæ & cōdendæ curam haberent. Præclarè ſanè, nimirum vt perſonas haberet ciuitas rationum referendarum iudicio obſtrictas, à quibus eſſet ſumtuum factorum rationem repetitura. Recita mihi decreta. DECRETA. Eſto. verùm hac ſtatim defenſione vtitur, murorum reficiēdorum curationem ſibi neque ſorte obueniſſe, neque populi ſuffragijs mandatam eſſe. Atque hac ſanè de re Demoſthenes & Cteſiphon orationem bene longam habituri ſunt: lex autem breuis atque aperta eſt, celeritérque iſtorum fallacias diſſoluit, ac refellit. Sed pauca quædam vos priusquàm huc veniā, vt reliqua facilius intelligere poſsitis, docere volo. Tria ſunt, Athenienſes, magiſtratuum genera: vnum, ídque notiſsimum, quod ſorte obuenit: alterum eſt eorum, qui populi ſuffragijs mandantur: quo genere continētur & ij, qui amplius triginta dies quippiam eorum, quæ ad ciuitatē pertinent, adminiſtrant, & ij, qui operibus publicis præpoſiti ſunt: tertium verbis legis expreſſum eſt. ET SI QVI ALII REBVS IVDICANDIS PRAESVNT, HI QVOQVE SPECTATI ET PROBATI MAGISTRATVM GERVNTO. Atquî demantur magiſtratus populi ſuffragijs creati, & ij, quibus ſortitò munus aliquod obuênit, reliquum eſt, vt ij, quos tribus, tribuúmque trientes, & oppida Attica deligunt publicæ pecuniæ tractādæ gratia, lecti ſint magiſtratus. Quod fit tum, cùm tribubus quippiā fuerit imperatum, quemadmodum hoc tempore, vt vel foſſas ducendas, vel triremeis ædificandas curent. Vera autem ea eſſe, quæ à me dicuntur, ex ipſis legibus cognoſcetis. LEGES. Recordamini igitur legis verba paullo antè recitata, quibus præcipit lator legis, vt qui à tribubus editi & lecti ſunt, ſpectati & probati in iudicio magiſtratum gerant. Atquî tribus Pandionis Demoſthenem magiſtratum & curatorem muris reficiendis declarauit: qui adminiſtrationis nomine à ciuitate accepit in hunc ſumtum decem circiter talenta. Iam verò lex altera vetat, ne is magiſtratus, qui rationum referendarum iudi-

cio tenetur, corona donetur: & iurastis vos secundũ leges sententiam laturos: & orator præcisè decreuit, vt is, qui iudicio de rationibus referẽdis tenetur, corona donaretur, his verbis non ascriptis. POSTEAQVAM RATIONES RETVLERIT, IVDICIOQVE DE RATIONIBVS REFERENDIS ABSOLVTVS FVERIT: ego denique crimen populi sciti contra leges facti legum, ac decretorum auctoritate, ipsorúmque aduersariorum testimonio coarguo & conuinco. Potest quisquam aliquẽ contra leges decretum fecisse apertius demonstrare? At vobis illud quoque ostendam, eum prædicationem coronæ in decreto contra leges fieri iubere. Lex enim disertè iubet, si quem corona donet senatus, vt de eo in curia præco prædicet: sin populus, vt in contione, nusquam autem alibi. ac mihi legem recita. LEX. Lex hæc, Athenienses, præclara & vehemẽter vtilis est. Legislator enim non putauit (opinor) oratorem apud exteros gloriari, & insolenter se iactare oportere: sed satis eum habere debere, si in vrbe à populo ornetur, nõ etiam ex præconijs mercatum instituere, quæstúmque facere. Atque ita quidem lator legis: Ctesiphõ verò quomodo? Recita decretum. DECRETVM. Auditis, Athenienses, iubere legislatorẽ, vt, qui corona donetur à populo, de eo apud populum in Pnyce loco contionis legitimæ, contione aduocata, prædicetur: nusquam autem alibi. At Ctesiphon in theatro non modò legibus spretis ac violatis, sed etiã loco immutato: non Atheniensibus ad contionem conuocatis, sed nouis tragœdis agentibus: non spectãte populo, sed in conspectu Græcorum, vt illi nobis sint conscij, qualem virum honore afficiamus. Iste igitur populi scito tam aperte contra leges facto cũ Demosthene veluti in acie instructa collocatus, aduersus leges arteis & fallacias intendet: quas ego vobis aperiam, ac prædicã, ne imprudentes in fraudem inducamini. Non enim poterunt isti negare, quin leges vetent, de eo, qui à populo corona donatur, extra contionem prædicari. Sed legem

Dionysiacam, qua se defendere posśint, afferēt, & parte quadam legis vtentur, ad aureis vestras insidiose sibi aditum munientes: legem denique proferent nihil ad hoc iudicium pertinētem: dicéntque duas esse leges de præconijs ciuitati latas, vnam, quam ego profero disertè vetantē, ne de eo, qui à populo corona donatur, extra contionem prædicetur: alteram huic contrariam, quæ coronæ donationem ac prædicationem in theatro, populo ad tragœdos spectandos coacto, fieri permittit, si modò populus sciuerit. Hanc se igitur legem secutū Ctesiphon suum illud decretum scripsisse dicet. Ego verò aduersus istorum arteis & captiones, leges vestras patronas proferam: quod quidem tota mea accusatione summo studio facio, aśsiduéque obseruo. Nam si hoc verum est, si hæc consuetudo in remp. vestram inducta est, vt leges irritæ inter ratas scriptæ locū habeant, duæque de vna, eadémque re inter se pugnātes perscriptæ sint, quo nomine hanc remp. appellabimus, in qua leges eadē facere & non facere iubeant? Sed non ita est, & dij prohibeant ne vos vnquam in tantam legum cōfusionem ac perturbationem incidatis. Neque verò hæc sunt à latore legis, qui populi dominationem ac potestatem constituit, neglecta: quin thesmothetis hoc negotij disertè datum est, vt quotannis leges in publico recognoscant, & corrigant, accuratéque videant, & considerent, sítne lex aliqua alteri legi aduersa, sítne aliqua abrogata inter approbatas, ac ratas: postremò síntne plures vna singulis de rebus perscriptæ. quòd si quid huiusmodi reperiant, iubet eas in tabulis descriptas pro decem heroū statuis proponi, ciuitatísque moderatores quinquaginta contionem habere, nominibus eorum adscriptis, qui eas leges tulerint: prætorem verò, præsidum magistrum suffragij potestatem populo dare, & leges alias tollere atque abrogare, alias intactas atque integras relinquere, vt lex vna sit ad vnamquamque rem actionémque pertinens, non plures. Ac mihi leges recita. LEGES. Si vera igitur essent,

essent, Athenienses, quæ ab his dicūtur, duæque de præconijs leges essent latæ: cùm eas & thesmothetæ deprehendissent, & ciuitatis moderatores ipsis latoribus legis reddidissent, arbitror illos alteram ex legibus necessariò sublaturos fuisse, vel eam, quæ prædicari extra contionē permitteret, vel eam, quæ vetaret. Nunc verò cùm horum nihil factum sit, non modò in manifesto & impudenti mendacio deprehensi tenentur, sed ea confingere reperiuntur, quæ ne fieri quidem possunt. Sed vnde hoc mendacium, quo vestram fidem ac religionem labefactare conantur, depromserint, ego vos docebo, si prius quam ob rem leges de præconijs theatralibus latæ sunt, vobis exposuero. Cùm ludi tragici vrbani fierēt, alij re à populo non impetrata prædicandum curabant, se à tribulibus suis corona donari, alij à popularibus, alij post reliquos omneis voce præconis conducta, seruos suos manumittebāt, Græcos huius manumissionis testeis adhibentes: immò verò, quod erat omnium inuidiosissimū, hospitij publici necessitudinem apud exteras ciuitates nacti perficiebant, vt de se præconis vox prædicaret, à populo, si forte ita caderet, Rhodio, vel Chio, vel alîus cuiuspiam ciuitatis, ipsos virtutis ac fortitudinis ergò corona donari. Atque hæc non ita agebāt quomodo ij, quibus à senatu vestro, aut à populo talis donatio fieri consueuit, re à vobis impetrata, cum decreto, ob multa denique in vos & magna merita, sed hoc iure vobis præ repto, decretóque vestro non adhibito, aut requisito. Hinc vsu veniebat, vt spectatores, & ludorum magistri, & actores interturbarentur: ij verò de quibus prædicabatur in theatro, maiore honore afficerētur, quàm quos popul⁹ corona donabat. His enim locus erat certus cōstitutus, nempe contio, in qua hāc donationē fieri oportebat, nusquam alibi licebat: illi verò in omnium Græcorum conspectu, præconis voce laudabantur: & hi quidē cum decreto, re à vobis impetrata, illi sine decreto. Hæc cùm legislator quidam animaduertisset, legem rogat ni-

hil cum lege de ijs, qui à populo corona donantur commune habētem: neque illa abrogata: (non enim contio, sed theatrum turbabatur) neque prioribus legibus aduersam, (non enim fas est.) sed legem de ijs, qui sine vestro decreto à tribulibus, & popularibus corona donantur: de ijs, qui seruos suos manumittunt: denique de coronis externis ac peregrinis. Itaque dilucidè vetat, nequis in theatro seruum libertate donet, nequis præconis voce prædicante à tribulibus aut popularibus, aut alio quoquam corona donetur: alioqui præconem infamia notari iubet. Cùm igitur lator legis definierit, vt de ijs, qui à senatu corona donantur, in curia: qui à populo, in contione prædicetur: qui autem à popularibus & tribulib⁹, vetuerit ne ludis tragicis de ijs prædicetur, vt nequis vndique coronas & præconia colligens & corrogãs, falsam, miniméque debitam in remp. meritorũ gloriã consequatur: vetuerit præterea in lege néue à tribulibus, néue à popularibus, néue ab alio quoquam, absente senatu & populo, prædicetur: his igitur detractis atque exceptis, quid reliquum est præter coronas externas? Ac me vera dicere, argumēto firmissimo ex ipsis legibus depromto peruincã. Ipsam enim aureã coronã, quæ in theatro, quæ in vrbe præconis voce pronuntiata fuerit, Mineruæ sacram lex esse iubet, ei, cui donatio fit, ademptam. Atqui quis vestrûm audeat populum Atheniensem tantæ illiberalitatis condēmnare? Nam non modò ciuitas, sed ne priuatus quidem quisquam tam angusti ac pusilli animi fuerit, vt, quam ipse coronam donarit, eam vno tẽpore à præcone pronuntiari iubeat, adimat, consecret. At ego arbitror, quòd externa corona est, idcirco consecrationẽ fieri, nequis, dũ alienã erga se beneuolẽtiã pluris, quàm patriam facit, animo deteriore euadat. Sed coronam illam, que in contione prædicata est, nemo consecrat, sed ei, cui donata est, possidere licet, vt non ipse solùm, verùm etiam eius posteri, hoc monumentum virtutis domi habentes, nunquam iniquo, neque maleuolo

in

in populũ ſint animo. Et verò propterea adſcripſit lator legis, ne in theatro à præcone pronuntietur externa corona, niſi populus ſciuerit, vt ea ciuitas, quæ aliquem ciuium noſtrorum corona donare velit, legatione miſſa, id à populo petat. quid ita? vt is, de quo prędicatur, vobis, qui prædicandi poteſtatem permittatis, coronæ nomine maiorem gratiam habeat, quàm ijs, qui coronã donẽt. Atque vt hæc eſſe vera facilius intelligere poſsitis, leges ipſas audite. LEGES. Cùm igitur vobis dicere incipient, oratione ad fallendum compoſita, ſcriptum eſſe in lege, corona donare licere, ſi populus auctor fuerit, facite vobis in mentem veniat ſubijcere, Maximè, ſi quidẽ te alia ciuitas corona donet. ſin autem populus Athenienſis, locus tibi certus conſtitutus eſt, quo loco eam donationem fieri oporteat: extra contionem prædicari vetitũ eſt. Ea enim verba, NVSQVAM AVTEM ALIBI, quid ſibi velint, totum diem dicas licet: certè nunquam oſtendes te legitimum decretum ſcripſiſſe. Reſtat nunc mihi accuſationis altera pars, in qua mihi plurimum ſtudij atque operæ neceſſariò ponendum eſt. Eſt autem ea pars, Cteſiphõtis cauſa ac defenſio, quam affert, quamobrem Demoſthenem corona dignum eſſe exiſtimarit. Hæc enim ſunt decreti verba, *ET PRAECONEM APVD GRAECOS PRONVNTIARE IN THEATRO, DEMOSTHENEM A POPVLO ATHENIENSI CORONA DONARI VIRTVTIS AC FORTITVDINIS ERGO, ET,* (quod eſt omnium maximum) *QVOD ASSIDVE TVM DICIT, TVM AGIT RES POPVLO ATHENIENSI VEHEMENTER VTILEIS AC SALVTAREIS.* Cũ igitur nobis ſimplex, tùm vobis ad cognoſcendum, iudicandúmque perfacilis reliqua oratio eſt. Me enim, qui accuſo, ſcilicet, oſtẽdere oportet, laudes illas eſſe falſas nec Demoſtheni cõuenire: nunquã illum neque antea res valdè vtileis dicere cœpiſſe, neque nunc in rebus agendis reip.

vtilibus perseuerare. Hoc si ostendero, iure, opinor, hoc iudicio Ctesiphon damnabitur. Omnes enim leges vetant, ne quis in decretis publicis falsum scribat. Eum autem, qui causam dicit, huius contrarium ostendere oportet. Vos nobis eritis eorum, quæ vtrinque dicentur, iudices. Atque ita quidem se res habet. ego ad vitam Demosthenis explicandam longiore oratione opus esse puto. Quid enim nunc ego commemorem illa, quæ ei in iudicio de vulnere acciderunt, quo die Demomeli patrueli Pæanieo apud Ariopagum diem dixit, & de capite inciso? aut quid ea refricem, quæ in Cephisodoti imperio, & classe in Hellespontum profecta designauit? quo tempore Demosthenes, cùm vnus esset è trierarchis, & imperatorem in naui circumageret, vnà cum eo vesceretur, sacrificaret, libaret, quibus omnibus propterea quòd ei paternus amicus erat, dignus habebatur: non dubitauit nomine eius delato, eóq; in iudicium capitis adducto, lege maiestatis accusatorem sese eius profiteri. quid ea verò, quæ ei cũ Midia intercesserunt? quid colaphos, quos in orchestra chori magister cùm esset, accepit? & vt contumeliam acceptam, simúlque populi sententiam contra Midiam in æde Liberi patris suffragijs populi latam triginta minis vendidit? Hæc igitur & alia his similia rectè mihi videor esse silentio præteriturus, nõ quòd vos prodere, aut reo gratificari & præuaricari cogitẽ, sed quòd verear, ne mihi statim ita occurratis, me vera quidem illa, sed peruetera, & obsoleta, & ab omnibus audita & confessa dicere videri. Atquî Ctesiphon, cuius maxima flagitia, ac dedecora ita certa & nota sunt ijs, qui audiũt, vt accusator non falsa, sed antiqua, & omnium sermone celebrata & confessa dicere videatur, vtrùm eum corona donari, an vituperari cónuenit? te verò, qui falsa & legibus contraria scribere ausus sis, vtrùm iudicia cõtemnere, an ciuitati dare pœnas oportet? De publicis autem criminibus planius dicere conabor. Audio enim Demosthenem, facta eis dicendi potestate, quattuor apud vos

tem-

tempora ciuitatis præterita, per quæ ipse remp. administrauit, enumeraturum: quorum illud, vt mihi quidem nuntiatur, primo loco ponit, quo tempore de Amphipoli cum Philippo bellum gerebamus. atque hoc tempus pace facta, & ea societate, quam Philocrates Agnusius, & iste ipse cum illo copulatus decreuit, vt ego ostendam, terminat ac definit. Secundum tempus ait fuisse, quo tempore pacem habebamus, vsque ad eum diem videlicet, quo die pace diremta, qua vtebatur ciuitas, idem orator bellum persuasit ac decreuit. Tertium cùm bellum gerebamus vsque ad cladem in Chæronea acceptam. Quartum, hoc tempus, in quo nunc versamur. His igitur temporibus enumeratis, me, vt audio, appellaturus & rogaturus est, quódnam ex his quattuor ipsius tẽporibus reprehendam: quando negem eum res populo Atheniensi vtilissimas gessisse. ad quæ si nolim respondere, & si faciem pudore affectus obtegã ac tergiuerser, ait sese ad me propius accessurum, & detractis mihi de capite integumentis ad contionem & suggestum pertracturum, respondere denique coacturum. Quare primùm ne fortè iste suis viribus tantopere cõfidat: deinde vt vos præmuniti ac præmoniti sitis: postremò vt tibi, Demosthenes, coram iudicibus, reliquísque ciuibus, qui foris circumsistunt, & Græcis, quibus curæ fuit huic iudicio interesse, respõdeam (video autẽ non paucos ad audiendum conuenisse, sed tantam multitudinem, quanta in actione publica post hominum memoriã non interfuit) respõdeo, me omnia ista quattuor, quę tu partitione tua complecteris, tempora, reprehẽdere: magnáque me spes tenet, tùm dijs immortalibus volentibus atque approbãtibus, tùm, si iudices pari nos æquitate ac beneuolentia audierint: postremò si ego ea, quæ te admisisse scio, memoria consequi potuero, fore, vt iudicibus planum facere possim, salutem ciuitati primùm deos, deinde homines eos, qui sese erga nostram remp. æquos atque humanos præbuerunt, attulisse: incommodorum verò &

calamitatum omnium acceptarum vnum Demosthenem causam atque auctorem extitisse. Statui autem eum ordinem seruare, quo ordine istum vsurum esse audio, dicámque primùm de primo tempore: deinde de secundo: tum verò de eo, quod superiori est proximũ: postremò, de hoc rerũ statu, in quo nunc versamur. Ad eam me igitur pacem refero, quã tu & Philocrates decreuistis. vobis enim licuisset, Atheniẽses, priorem illam pacem vnà cum vniuerso Græcorum consessu facere, si certi homines passi essent, vos legatos illo tempore in Græciã missos, quibus Græcos hortabamini, vt aduersus Philippũ communi illi Græcorum consilio interessent, exspectare: licuisset & vltro vobis delatum à Græcis imperium si non statim, at aliquanto pòst reciperare. quibus rebus Demosthenis & Philocratis culpa, & propter istorum turpeis quæstus & nundinationes, quas fecerũt, coitione facta aduersus remp. vestrã, planè spoliati estis. Quòd si aliquibus vestrûm statim vt audierunt, hæc oratio incredibilis áccidit, cetera sic attendite vt cùm de pecunia expensa longo interuallo sedentes rationem repetere solemus: nonnunquam videlicet falsas domo opiniones de rationibus afferimus: verùm posteaquàm rationes subductæ & putatæ fuerint, nemo nostrûm est tam acerbus natura, quin cum hac opinione discedat, vt, quicquid ipsa ratiocinatio, & calculi ratio coarguerit ac probarit, verum esse fateatur: ita vos quoque ad audiendum parati estote. si quis vestrûm talem opinionem iandudum comprehensam domo detulit, nihil vnquam Demosthenem cum Philocrate coitione facta pro Philippo dixisse: qui eo animo est (inquam) is mihi neque absoluat, neque condemnet, priusquàm audierit. non enim iustum est: sed si vobis paucis & tempora commemoraro, & decretũ, quod Philocrate socio scripsit Demosthenes protulero: si vox ipsa & ratiocinatio veritatis implicatũ atque irretitum Demosthenem tenuerit & conuicerit, cõplura cum Philocrate de prima illa pace decreta scripsisse:

ſe: per ſummum dedecus atque inſignem turpitudinem Philippo aſſentatum eſſe, legatos, qui è Græcia reuertebantur, non exſpectaſſe: quo minus populus Athenienſis in communi Græcorum conſilio pacem cum Philippo faceret, per eum ſtetiſſe: poſtremò Cerſobleptem regem Thraciæ, ſocium noſtræ ciuitatis atque amicũ, Philippo dedidiſſe, atque in ſeruitutẽ tradidiſſe: Si hæc vobis plana fecero, rem petam à vobis æquiſsimam, quam, per deos immortaleis, ſinite me impetrare: date hoc mihi, vt fateamini Demoſthenẽ totum illud tempus, quod è quattuor primum eſt, remp. non bene geſsiſſe. Dicendi autem initium inde ducam, vnde me dicentem facillimè ſubſequi poſsitis. Decreuit Philocrates vt caduceatores & legatos de pace ac ſocietate Philippo huc mittere liceret. Hoc decretum tanquàm contra leges ſcriptum, die Philocrati dicta, in iudicium vocatum eſt. venĩt iudicij dies. Accuſabat Licinius is, qui diem dixerat. cauſam dicebat Philocrates. patronus erat Demoſthenes. abſolutus eſt Philocrates. His rebus geſtis, deinceps ſecutus eſt annus, quo anno Themiſtocles, prætor factus eſt. tum in curiã ſenator venit Demoſthenes, neq; ſortitione, neque ſubſortitione facta locum illum cõſecutus, ſed ambitione, & miris allegationibus, & magno pretio mercatus, vt omnibus in rebus & dicendis & agendis Philocrati ſubſeruiret, & ſecundas ab eo parteis ageret, quomodo res ipſa declarauit. Obtinet enim alterum decretũ Philocrates, quo iubet decem legatos deligi, qui ad Philippum profecti poſtulent ab eo, vt legatos ſummam poteſtatem ab eo acceptam habenteis huc mitteret. In his erat Demoſthenes: qui illinc reuerſus pacis laudator fuit, eadémque atque alij legati, renuntiauit: ſolus autem ex omnibus ſenatoribus decreuit, vt cum caduceatore, & legatis à Philippo miſsis fœdera feriremus: ſimilia in eo decernens ac planè gemina ijs, quæ à Philocrate decernebantur. Ille enim auctor fuit, vt Philippo caduceatorem & legatos huc mittere

liceret:hic cum legatis fœdera percuſsit. Iam verò mihi ad ea, quæ ſequuntur, quæſo, diligenter attendite. Multa enim Philippus non iam cum ceteris legatis à Demoſthene poſtea mutatione facta per improbiſsimam calumniam vexatis, ſed cum Philocrate ac Demoſthene tranſigebat: neque id mirum: vt pote qui vnà legationem obierant: qui vnà decreta illa tria fecerãt: quorum primum fuit, vt ne legatos, quos ad Græcos miſeratis, eos, in Philippum cõcitantes, exſpectaretis, neque communiter cum alijs Græcis, ſed priuatim pacem cum eo faceretis: Alterum, vt nõ pacem ſolùm, ſed etiam ſocietatem cum Philippo ſciſceretis, vt, ſiqui fortè attentis ac propenſis erga plebem veſtram eſſent animis, fracti ac debilitati conciderent, ac deſperarent, cùm viderent, vos ſibi quidem bellicum canere, bellíque ſuſcipiendi hortatores atque impulſores eſſe: domi verò non modò pacem cum Philippo, ſed etiam ſocietatem decretis veſtris confirmaſſe: Tertium, ne Cerſobleptes rex Thraciæ fœdere contineretur, néue ſocietatis ac pacis eſſet particeps, cùm ei iam bellum indictum eſſet, inſtructúſque in eum exercitus duceretur. Et mediuſfidius is, qui hæc redimebat, culpa vacabat, neque cuiquam iniuriam faciebat. Non enim erat ei crimini dandum, ſi nondum dato vtrinque iureiurando, nec fœdere facto, ſuis rationibus conſuleret. At qui firmamenta ac præſidia ciuitatis ei vendebant, & impertiebant, ij magno erant odio ac ſupplicio digni. Nam qui ſe nunc Alexandri, tùm Philippi inimicum fuiſſe dictitat, Demoſthenes: is, qui mihi Alexandri hoſpitium maledicti loco obijcit, ciuitatis tempora ſuffurans, decernit vt ciuitatis moderatores contionem habeant ſexto idus Februarias, quo tempore AEſculapio ſacra fiebãt. Atque hac de re antèquàm cum populo ageretur, ad ſenatum relatum eſt die feſto: quod nunquàm poſt hominum memoriam factum erat. Sed quam cauſam afferebat? vt (inquit) ſimulatque aduenerint legati Philippi, quàm primùm conſultet populus

ijs

ijs de rebus, quæ nobis cum Philippo intercedunt, legatis, qui nondum venissent, contionem præoccupans, & tempora vestra circumcîdens atque amputans, cùm interim rem vrgeret, ne cum ceteris Græcis, vestris legatis iam reuersis, sed soli pacem faceretis. Aliquanto pòst, Athenienses, venerunt legati Philippi, vestri verò aberant, Græcos (vt suprà dixi) ad bellum contra Philippum cohortantes. Hîc obtinet atque adeo expugnat alterum decretum Demosthenes: in quo cẽset, vt vos non de pace solùm, verùm etiam de societate consilium capiatis, vestris legatis non exspectatis, sed statim post Dionysia vrbana, duodecimo, & vndecimo Kal. Martias. Atque vt hæc, quæ dico, vera esse intelligatis, diligenter dum recitantur decreta attendite. DECRETA. Exactis igitur Dionysijs contiones aduocatæ sunt duæ: quarum in priore recitatum est decretum duodecimo Kal. sociorum commune, cuius præcipua vobis capita breuiter exponam. Primùm enim decreuerunt, vt de pace consultaretis, societatis nomen præterierunt, non quòd oblîti fuerint, sed quòd pacem illam, necessariam magis, quàm honestam esse existimarent: Deinde præclare Demostheni occurrerunt, quæstus eius sordidos, & flagitiosas nundinationes sanaturi, cùm adscripserũt decreto, vt cuiuis Græcorum liceret, tribus pòst mensibus nomen suum vnà cum Atheniensibus in eadem columna incidere, eadémque fœderum & pactorum communione contineri: duas res maximas ea ratione anticipantes ac prouidentes: primùm enim trium mensium spatium, quod Græcorum legationibus satis esset, sumserunt: deinde Græcorum beneuolẽtiam huic ciuitati cum communi Græciæ consessu conciliarunt, vt si forte Philippus fœdera negligeret ac violaret, nos neque soli, neque imparati bellum gerere cogeremur. quæ nunc opera & culpa Demosthenis acciderũt. Atque hæc esse vera, quæ à me dicuntur, ex ipso decreto cognoscetis. DECRETVM SOCIORVM. Huic me decreto assensum esse fateor: assensi

ſunt & omnes oratores, qui in priore illa contione verba fecerunt: populus autem cum hac opinione diſceſſit, pacem quidem futuram, ſed de ſocietate deliberare, propterea quòd Græcos in Philippum concitabamus, reip. non expedire: pacem autem futuram communiter cum Græcis vniuerſis. Vna nox interceſsit. Poſtridie in contionem venimus. Tum verò Demoſthenes ſuggeſto occupato atque obſeſſo, nemíníque dicẽdi loco relicto, negauit, quæ verba pridie facta eſſent, ea verba quicquã profutura, niſi ea Philippi legati comprobarent. Nã quæ pax (inquit) ſine ſocietate conſtare queat, non intelligo. Non oportet enim (nam verbũ, quod tũ vſurpauit, memoria teneo propter acerbitatem atque aſperitatẽ tùm eius, qui dicebat, tùm nominis) non oportet (inquit) à ſocietate pacem abrumpere, neque Græcorum tarditatem exſpectare, ſed vel ipſos bellum gerere, vel nos pacẽ priuatim facere. Deinde ad extremum Antipatro in ſuggeſtum vocato, quædam requirebat ex eo, multo antè certiore facto quid eum rogaturus eſſet, ſimúlque præmonito atq; inſtituto, quænám ille aduerſus ciuitatem reſpõdere deberet. Poſtremò hæc valuerũt, cùm hinc Demoſthenes dicendo vim attuliſſet: illinc Philocrates populi ſcitũ ſcripſiſſet. Iam verò quod eis reſtabat, vt Cerſobleptem, & agrum Thracium Philippo traderent, atq; ire in poteſtatem eius redigerẽt, id quoque ſeptimo Kal. Martias effecerũt, priuſquàm poſteriorem legationem accipiendi à Philippo iuriſiurandi cauſa inſtitutam ac decretam Demoſthenes obiret. Etenim acerrimus iſte Alexãdri ac Philippi inimicus, bis in Macedoniã legatus nobis profectus eſt, cùm liceret ne ſemel quidem proficiſci, is, qui nunc Macedones cõſputare & cõculcare iubet. Veruntamẽ in cõtione ea, quæ ſeptimo Kal. Martias aduocata eſt, ſenator cùm eſſet, ſenatorium ordinem ex cõparato, & dedita opera cõſecutus, Cerſobleptẽ adminiſtro atque adiutore Philocrate tradidit ac dedidit Philippo. Occultè enim atque inſidioſè Philocrates adſcripſit decreto

creto præter alia in eo ſcripta, quod item Demoſthenes comprobauit & confirmauit, vt eo ipſo die ſociorũ conſiliarij & conſeſſores, Philippi legatis iuſiurandũ darent. à Cerſoblepte porro in conſilio qui ſederet, aderat nemo. Itaque cùm ſcripſit, vt ij, qui in conſilio ſedebãt, iurarent: Cerſobleptem, à quo conſiliarius aderat nullus, à fœdere excluſit. Sed ne quis hæc à me fingi putet, recita mihi quis hæc ſcripſerit, quis publici conſilij præſes cõfirmarit. DECRETVM. PVBLICI CONSILII PRAESES. Præclara, Athenieñſes, præclara, inquam, res eſt, tabularum publicarũ cuſtodia. Immota enim permanet, neque vnà cum reip. trãſfugis immutatur, ſed facultatẽ dat populo, vbi commodum fuerit, hominũ olim improborum ac ſceleratorum, repente mutata volũtate, opinionẽ ſibi probitatis quærentiũ, cognoſcendi. Reſtat autem vt eius aſſentationem vobis cõmemorem. Nam cùm Demoſthenes annũ ſenatorio munere functus ſit, nullos vnquã legatos ad principem locum inuitaſſe reperietur. ſed illo duntaxat tempore, & tunc primùm legatos Philippi primo loco collocauit: puluinos quoque adpoſuit, & conchyliatis periſtromatis ſedes inſtrauit, totúmque illum quoquo verſus locũ aulæis exornauit. cùm iam diluceſceret, ducẽ ſe legatis in theatrũ præbebat, ita vt omniũ ſibilis exciperetur, propter geſtum hominis indecorum, blanditiáſq; deformeis atq; ineptas: deinde cùm illi ſeſe Thebas contulerunt, tria cõduxit eis mulorũ iuga, legatóſque Thebas deducẽdos curauit, ciuitatem noſtrã nationibus exteris deridendã propinans. Sed ne lõgius ab inſtituto degrediar, ſume mihi decretũ de principe loco legatis Philippi dato. DECRETVM. Iſte igitur tantus aſſentator cùm per Charidemi ſpeculatores prim⁹ omniũ de interitu Philippi certior factus eſſet, ſomnio ſibi confícto in deos immortaleis emẽtitus eſt, proinde quaſi nõ à Charidemo, ſed à Ioue & Minerua nuntium accepiſſet, quos interdiu omni ſcelere ac periurio violans, noctu ſecum colloquia habere, futuráque ſibi multo antè

prædicere gloriatur. At ſeptimo die poſt filiæ mortem, prius quàm eius funeri iuſta ſoluiſſet, coronatus, & albatus bouem immolabat, morem maiorum negligebat, leges & inſtituta perfringebat, vnica filia miſer, quæ prima eum patrem appellauerat, amiſſa. Neque verò calamitatem ei ſuam maledicti aut criminis loco obijciēdam puto, ſed hominis mores perpendo & conſidero. Nunquam enim qui liberos odio habet, patérque improbus eſt, bonus erit populi moderator ac patronus: nunquam qui capita cariſsima, ſummáque neceſsitudine ſibi coniuncta non complectitur amore illo paterno, vos pluris faciet alienos: nunquam qui priuatim nequam eſt, publicè frugi erit: nunquam qui domi ingenio leui ac vētoſo, animóque molli & imbecillo fuit, in Macedonia fuit legationis tempore conſtans & fortis. Non enim ingenium, ſed locum tantùm mutauit. Vnde igitur tanta extiterit in eo mutatio (hoc enim ſecūdum tempus eſt) & cur tandem Philocrates quidem rebus iiſdem cum Demoſthene publicè geſtis, perduellionis accuſatus, exſulióque multatus ſit, Demoſthenes autem aliorum accuſator nobis ſit exortus: denique quónam pacto homo impuriſsimus tot incommodis & calamitatibus nos affecerit, hæc nunc audire operæpretium eſt. Vt primùm Philippus Pylas introijt, vrbeíſque Phocēſium improuiſo aduentu cepit atque deleuit, Thebanos (quomodo tum quidem putabatis) potentiores, quàm tempora, commodáque veſtra ferebant, effecit: cùm vos perterriti, agris relictis vaſa colligeretis, & ſupellectilem in vrbem deportaretis, cúmque maxima tum inuidia flagrarēt, grauiſsiméque accuſarentur legati, qui huius pacis auctores extiterant, atque in primis Philocrates & Demoſthenes, propterea quòd non ſolùm legationem illam obierant, ſed etiam decreta ſcripſerant: áccidit eodem tempore, vt Demoſthenes & Philocrates inter ſe diſsiderent ijs prope de rebus, de quibus etiam vos eos inter ſe diſſentire ſuſpicabamini. His igitur turbis excitatis, tantóque tumul-

tumultu coorto, accedentibus & ceteris malis ac vitijs homini innatis, reliqua iam Demosthenes, quòd Philocratem nundinationum suarum, pecuniarúmque captarum socium atque æmulum ferre non poterat, de se diffidenter, timidè, ac suspiciosè consulebat. Itaque existimauit si eorum, quibuscum vnà legatus fuerat, ac Philippi accusator existeret, Philocratem haud dubiè periturum: reliquos legatos magnum in discrimen venturos: de se vno ciueis suos bene existimaturos, & cùm amicos insigni improbitate, & singulari perfidia prodidisset, beneuolentiæ erga populum Atheniensem, famam atque opinionem consecuturum. Cuius consilia cùm perspexissent communis otij, & publicæ tranquillitatis oppugnatores, eum cupidè, vltróque in contionem inuitabant, solum integrum, solum castum atque incorruptum in ciuitate nominantes. Ille verò cùm primùm in contionem ascenderat, tumultus ac belli semina, principiáque ministrabat. Hic ille est, Athenienses, qui primus Serrium murum, Doriscum, Ergiscam, Murgiscam, Ganos, Ganidem reperit: loca, quorum ne nomina quidem antea noueramus. Celeriter autẽ rem eò loci deduxit, vt, si quidem Philippus legatos non mitteret, contemni ab eo ciuitatem ac pro nihilo putari: sin mitteret, exploratores, non legatos mitti diceret. Si vellet ille alicui ciuitati pari de controuersijs nostris arbitrandi iudicandíque potestatem permittere: negabat vllum nobis, & Philippo æquum iudicem reperiri posse. Dabat ille Halonesum: vetabat hic accipere si daret ac nõ redderet, de syllabis scilicet dissidens ac litigans. Postremò corona donatis ijs, qui cum Aristodemo contra pacis conditiones ac fœdera exercitum in Thessaliam & Magnesiam duxerant, pacem quidem diremit, calamitatem autem nobis importauit, bellúmque suscitauit. Esto. At enim muris aheneis, atque adamantinis (vt ipse prædicat) fineis Atticos muniuit, Eubœorum, ac Thebanorum societate. Immò verò, Athenienses, tribus hac in re iniurijs gra-

uisſimis affecti eſtis, ſummáque in rerum omnium ignoratione verſamini. Sed quoniam feſtinat animus de maxima Thebanorum ſocietate diſputare, vt ſuo quæque loco atque ordine perſequar, de Eubœorum ſocietate primùm dicam. Multis vos ac magnis, Athenienſes, iniurijs affecti, tùm à Mneſarcho Chalcidenſe Calliæ & Tauroſthenis patre, quos iſte nunc mercede accepta ciueis Athenienſeis ſententia ſua decernere non dubitat: tùm à Themiſone Eretrienſi, qui vobis pacis tempore Oropum ademit: vos has iniurias obliuiſcentes, cùm primùm vobis renuntiatũ eſt, Thebanos in Eubœam exercitum traduxiſſe eo animo, vt vrbeis Eubœæ in ſeruitutem redigerent: quinque diebus Eubœæ claſſe & pedeſtribus copijs opem tuliſtis: necdum triginta dies præterierant, cùm Thebanos fœdere à vobis ſuppliciter petito cum pace dimiſiſtis, Eubœáque potiti, vrbeis, & reip. ſtatum ijs, qui fidei veſtræ commiſerant, atque apud vos depoſuerant, optima fide, ſummáque cum iuſtitiæ laude reddidiſtis, neque iuſtum, neque fas eſſe ducentes, in eo, quod vobis creditum & commendatum eſſet, præteritas inimicitias meminiſſe. Atque his tot, tantíſque beneficijs affecti Chalcidenſes, nequaquam vobis parem gratiam retulerunt. Sed cùm in Eubœam copias traieciſtis, auxilium Plutarcho laturi, primis quidem certè temporibus amicitiam ſimulabant: verùm ſtatim vt Tamynas tranſijmus, montémque Cotylæum, qui appellatur, tranſgreſsi ſumus, tum Callias Chalcidenſis, quem Demoſthenes pretio accepto ſummis laudibus in cælum efferebat, cùm populi Athenienſis exercitum in quaſdam locorum anguſtias compulſum ac redactum videret, vnde neque ſe niſi parta victoria recipere poterat, neque auxilij ſpes vlla oſtendebatur, non terra, non mari: is igitur coacto ex omni Eubœa exercitu, ſimúlque à Philippo copijs corrogatis, & vnà cum eo frater ipſius Tauroſthenes, is, qui nunc vnicuique noſtrûm comiter & officioſè dextram porrigit, atque arridet, militibus

externis Phocensibus trauectis, eo animo, eáque spe in nos inuaserunt, impetúmque fecerunt, tãquam nos funditus deleturi atque euersuri. Quòd nisi primùm deus aliquis exercitum nostrum seruasset, deinde nostri milites, pedites atque equites, se viros forteis præbuissent, & apud Hippodromum, qui est in Tamynis, acie instructa, signísque collatis vicissent, hostibus supplicib⁹ cum pace dimissis: propius nihil esset factum, quàm vt ciuitas nostra summam turpitudinem subiret, summóque dedecore afficeretur. Non enim plagam in bello, detrimentúmque accipere, malum est maximum: sed vbi quis cum aduersarijs indignis congressus inferior discesserit, calamitatem altero tãto maiorem videri necesse est. Vos tamen talibus iniurijs acceptis, eos iterum in gratiam recepistis. Callias verò Chalcidensis cùm ei scelerum suorũ veniam, impunitatémque dedissetis, breui tempore interiecto rursus ad ingenium redijt. Nam cùm Euboicum consilium verbo Chalcide cogeret, revera Eubœam aduersus vos muniret atque ornaret, & præcipuum sibi dominatum compararet, huiúsque fautorem atque adiutorem sibi futurum Philippum speraret, in Macedoniam se contulit. Ibi cum Philippo deambulabat, & in amicis ac familiaribus eius numerabatur: verùm iniustè læso, atque offenso postea Philippo cùm inde profugisset, Thebanis vltro sese in potestatẽ tradidit. mox illis quoque relictis cùm identidem huc & illuc isset ac redisset, plureísque quàm Euripus, propter quem habitabat, circuitiones, & conuersiones reciprocas fecisset, in medias Philippi ac Thebanorum inimicitias præceps actus est. Ad extremum inops consilij cùm quid se faceret, nesciret, sibíque bellum denuntiatum videret, vnam spem salutis reliquam esse animaduertit, si populum Atheniensem sibi iureiurando deuinctum habere posset, eum socij nomine appellatum, auxilium sibi laturum, siquis fortè ipsum bello lacesseret: quod sine dubio erat futurum, nisi vos prohiberetis. Cùm igitur in hac cogitatione

versatus esset, mittit huc legatos Glaucetam, Empedonem, Diodorum, eum, qui cursum illum Doricum viginti stadia longũ cucurrit, populo Atheniensi spes inaneis, Demostheni, & eius asseclis pecuniam afferenteis. Tria autem vno tempore redimebat: primùm ne societatis vestræ spe decideret. nam si populus Atheniensis superiorum eius iniuriarum memor societatem non probaret, nihil erat medium, sed ei relinquebatur è duobus alterum, vel vt ex Chalcide profugeret, vel vt vndique circumuentus, atque implicatus mortem oppeteret, tot & tantæ Philippi ac Thebanorum copiæ in eum armatæ irruebant. dabatur ei, qui societatem decreuisset, merces altera, ne Chalcidenses in conuentu consessúque communi, qui Athenis haberi solet, interesse cogerentur: tertia ne tributa conferrent. Et Calliam quidem nullius eorũ, quæ sibi proposuerat, quæque expetebat, nec spes, nec opinio fefellit. Iste autem tyrannorum inimicus, (vt quidem simulat) Demosthenes, quem prædicat Ctesiphon perpetuò res optimas dicere ac suadere, cùm tempora ciuitatis vendidit, tum in societate decernenda, censuit, vt Chalcidensibus opem ferremus, loquendi genere duntaxat commutato. nam vt rei iniquitatẽ honesta oratione tegeret, asperitatémq; leniret, pro his adscripsit, vt Chalcidẽses nobis opitularentur, & suis Atheniẽsibus bellũ inferre conaretur. Postremò cõuentus Græcorum communis Athenis agendi ius, & tributorum descriptorum, in quibus nerui belli erant positi, vtilitatem funditus sustulit, ac vẽdidit: honestissima nomina turpissimis actionibus imponens, vobísque oratione persuadens, ac pene dicam vim afferẽs ad credendum, semper oportere ciuitatem nostram Græcis auxilio egentibus prius auxilium ferre: societates verò posteriore loco facere, beneficio demum accepto. Atque, vt me vera dicere intelligere possitis, sume mihi Calliæ accusationem, & societatem, simúlque decretũ recita. DECRETVM. Nondum igitur hoc graue aut indignum est,

tantas

tantas temporum, rerúmque gerendarum opportunitates, ius conuentuum Græciæ Athenis agẽdorum, tributorum denique imperatorum vtilitates esse vẽditas, sed multo id, quod dicturus sum, indignius videbitur. Nam Callias quidem eò contumeliæ, iniuriæque prorupit, Demosthenes verò is, quem tãtopere laudat Ctesiphon, in eam nundinationis, & pecuniarum turpiter capiendarum cupiditatem processit, vt vectigalia tum ea, quæ ex Oreo, tum ea, quę ab Eretria vobis pensitabãtur, decem talenta, vobis videntibus, prudentibus, inspectantibus furtim ademerint: hos, qui à ciuitatibus mitti solebant, consiliarios, à vobis abduxerint, atque iterum in Chalcidem, & in Euboicum (quod appellatúr) concilium trãstulerint. Sed quibus hoc vijs ac rationibus, quàm flagitiosis atque improbis effecerint, nunc operæ pretium est audire. Venit tandem ad nos Callias non iam per nuntios aut legatos, sed ipse per se. & cùm in cõtionem prodijsset, orationem habuit sibi à Demosthene compositam, summóque studio elaboratã. Dixit se ex Peloponneso venire, noua tributi descriptione facta centum circiter talentorum ad bellum Philippo inferẽdum. rationémque inibat quantũ quosque populos conferre oporteret: Achæos & Magarenseis omneis talenta sexaginta: Euboeæ ciuitates vniuersas quadraginta. Ex hac pecunia classem, & peditatum comparari atque ali facillime posse. esse & alios è Græcis complureis, qui huius tributi sic descripti partem ferre ac subire vellent: qua ex re spes esset neque pecuniam, neque milites defuturos. Atque hæc quidem esse nota & aperta. Alias autem res esse reconditas, quas occultè moliri atque agere cœpisset: quarum nonnullos ciuium nostrorum esse testeis: deinde ad extremum nominatim Demosthenem citabat, hortabatúrque vt eadem de re vnà secum diceret. Hic verò grauiter & magnifice se ferens procedebat: Calliã laudibus in cælum tollebat: occultum illud denique ac reconditum se scire simulabat. Legationem autem à se

obitam tum in Peloponneso, tum in Acarnania velle se vobis eo ipso tēpore renuntiare dicebat. cuius orationis hæc capita fuerūt: Peloponnesios, & Acarnanas omneis à se esse ad pecuniam conferendam aduersus Philippum distributos ac descriptos: descriptionem pecuniæ eam esse factam, quæ satis esset centum nauibus actuarijs instruendis atque armandis, & stipendio decem millibus peditum, & mille equitibus persoluendo: (his accessuras vrbanas & ciuileis copias) ex Peloponneso amplius militum grauioris armaturæ quinque millia: ex Acarnania totidem altera. atque huius belli gerēdi ab his omnibus vltro vobis esse delatum principatum. Neque verò longum forè cùm hæc perficerētur, sed a. d. decimum sextum Kal. decembreis. singulis enim ciuitatibus se prędixisse ac denuntiauisse, vt omnes Athenas plenilunio conuenirent, & in communi sociorum concilio interessent. Etenim, Athenienses, hæc est istius hominis cōsuetudo, non iam omnium communis, sed ipsius propria, & peculiaris. Ceteri enim gloriosi & arrogantes ostētatores cùm mentiuntur, dant operam nequid notatum ac definitum temporibus, nequid certum ac perspicuum eloquantur, verentes ne refelli & coargui posſint. At Demosthenes cùm venit ei in mentem aliquid sibi impudenter arrogare, de séque gloriose prædicare, primùm periurio mendacium cumulat, pestem sibi exoptat, exitiúmque precatur: deinde quæ certò scit nunquam futura, non dubitat asseuerare futura: temporibúsq; notatis, ac rationibus eorum subtiliter subductis, definit quando quicque futurum sit. denique quos ne de facie quidem nouit, eorum quasi notisſimorum nomina commemorat, vestris auribus hac arte fallaciter allectis, atq; occupatis, eorúmque, qui vera loquuntur, orationē imitans. Quocirca acerbiſsimo odio dignus est, qui cùm sit improbus ac sceleratus, virorum bonorum notas, signáque adulterat atque corrumpit. His dictis decretum dat scribæ recitandū, primùm longius Iliade: deinde verbis,

quæ

quæ loqui consueuit,& vita, quam vixit, inanius: postremò spei fallacis,& exercituum, qui nunquàm conficiendi essent, plenum. Cùm autem lōgissime vos à cognitione furtorum suorum abduxisset, spéque inani suspendisset, atque inflauisset, tum sese subito conuertens, scitum facit, in quo censet, vt legatos eligeremus, qui Eretrienseis orarent, (erat enim valde necesse scilicet eos orare) vt tributum vsitatum quinque talētorum, ne iam vobis, sed Calliæ pensitarent. Rursus alteros ad Oritas, qui ab ijs peterent, vt eundem sibi atque Athenienses amicum, eundémque inimicum haberent. Deinde integumenta illa, quibus furtum suum obtexerat, remouentur. nam repēte indicat, ac declarat, se ea omnia, de quibus in illo populi-scito scripserat, ad furtum retulisse, censet vt legati ab Oritis postulent, ne vobis, sed Calliæ quinque talenta penderēt. quæ quidem esse vera ex decreti lectione cognoscetis. Recita igitur decretum, detractis ampullis, inaniq́ue iactatione verborū, detractis triremibus, detractis deniq; arrogantibus & gloriosis promissis. recita, & sume in manus furtū, quod homo impurus ac nefarius commisit: quem prædicat Ctesiphon etiā in hoc decreto asiduè & dicere & agere res populo Atheniensi valde vtileis & perquàm salutareis. DECRETVM. Auditis igitur, Athenienses, verbo triremeis, & pedestreis copias, & plenilunium, & consessores, sed re tributa vnicuique ciuitati descripta, quæ vobis à socijs pendebantur, & decem talenta amisistis. Restat nunc vt ostendam, Demosthenem trium talentorum mercedē accepta, hoc decretum interposuisse: vno talento ex Chalcide à Callia, altero ex Eretria à Clitarcho tyrāno, tertio ex Oreo. Nam, quoniam Oritarum libera ciuitas est, quoniámque nihil agunt, quod non sciscat populus, eo facilius Demosthenis furta patefacta, atque illustrata sunt. illi enim eo bello, quod cum Philippo gesserant, exhausti, atque rei nummariæ penuria laborantes, mittunt ad eum Gnosidamum Charigenis filium, eius, qui

quondam in Oreo principatum obtinuit, qui ab isto supplex petat, vt talentum ciuitati remitteret, promittat autem Oritas ei statuam æneam posituros. At iste Gnosidemo respondet, se pauxillulum æris nō desiderare: talentum quidem per Calliam exacturum. Cùm igitur soluere cogerentur Oritæ, neque haberent vnde sumerent, vectigalia publica talenti nomine ei opignerauerunt, huiúsque pecuniæ turpiter conciliatæ vsuram Demostheni soluerūt, singulis mensibus in minam, drachmam vnam donec sortem reddiderunt. atque hæc acta sunt cum populi decreto. Sume hoc Oritarum decretum, vt ex eo omnes intelligant, ea, quæ dico, esse vera. DECRETVM. Hoc decretum, Athenienses, probrum ac dedecus est ciuitatis, argumentum rerum a Demosthene publicè gestarum certissimum, perspicua Ctesiphontis accusatio. Nam qui tam turpiter habuerit pretio addictam fidem, seséque muneribus labefactādum & corrumpendum præbuerit, fieri non potest vt vir bonus sit: quæ tamen iste ausus est in populi scito perscribere. Hîc tādem locus est tertij temporis, atque adeò omnium miserrimi atque acerbissimi temporis: in quo & Græcorū, & ciuitatis nostræ remp. funditus euertit ac perdidit Demosthenes: primùm quòd impius in templum Delphicum extitit, deinde quòd iniustam, & prorsus imparem atque iniquam cum Thebanis societatem decreuit. sed à sceleribus, quæ in deos immortaleis suscepit, initium ducam.

Campus est, Athenienses, quem Cirrhæum nominant, portúsque, qui hodiè sacer ac dirus appellatur. hunc locum olim Cirrhæi & Acragallidæ, barbaræ, & à legibus alienissimæ nationes incoluerunt, quæ templum Apollinis, donáque ei deo consecrata scelerate atque impiè diripuerunt, atque expilarūt. simúlque Amphictyonum concilium & conuentum grauissimum ac sanctissimum nefariè violarunt. Cùm igitur eorum facta, maxime (vt accepimus) maiores vestri: secundo loco ceteri Amphictyones iniquissimè, grauissiméque tulissent, oraculum consulue-

cõsuluerunt, quibus supplicijs in illos homines animaduertere conueniret. quibus respondit Pythia, vt cũ Cirrhæis, & Acragallidis dies & noctis bellũ gererẽt, agros eorum depopularentur, ipsos in seruitutem redigerent, Apollini Pythio, Dianæ, Latonæ, Mineruæ Prouidæ agros illos, vt in perpetuum inculti essent, consecrarent, eósq; neq; ipsi colerẽt, neq; ab alio coli paterẽtur. Hoc oraculo accepto Amphictyones decreuerunt, cùm in ea re Solõ Athen. vir & legum scribendarũ peritissimus, & in omni poëticæ ac sapientiæ studio multũ diúque exercitatus ac versatus, sentẽtiam dixisset: vt populus Atheniensis dei oraculum secutus, consceleratis illis hominibus bellum inferret. Magno itaque ex Amphictyonibus exercitu comparato, bellóque illato, eos in seruitutem redegerunt, portus eorum aggeribus excitatis obruerunt, vrbem funditus euerterunt, agros oraculo obtemperantes consecrarunt: postremò præter illa omnia religioso se iureiurando obstrinxerunt, neque se terram sacram culturos, neque ab alio coli passuros, opem deo pedibus ac manibus, & omnibus neruis ac viribus laturos: neque hoc iureiurãdo contenti fuerunt, sed sibi, ceterísque omnibus, si aliter facerent, omni exsecratione deuinctis pestem, exitiúmque precati sunt. Sic enim in ea exsecratione scriptum est. SI QVIS HAEC MIGRAVERIT, SIVE CIVITAS, SIVE QVIS PRIVATVS, SIVE NATIO, APOLLINI, DIANAE, LATONAE, MINERVAE PROVIDAE SACER ESTO. hoc præterea ijs imprecatur, vt neque ipsis terra fructũ ferat, neque vxores eorum liberos parentibus simileis, sed monstra & portenta pariant: neque pecorum partus sint naturales: & vt è bello, è iudicijs, è foro victi discedant: denique vt funditus intereant ac deleantur & ipsi, & eorum domus, ac genus. NEQVE VNQVAM (inquit) APOLLINI, NEQVE DIANAE, NEQVE LATONAE, NEQVE MINERVAE PROVIDAE PVRE LITANTO, NEQVE ACCEPTAE SVNTO DIIS IMMORTALIBVS EORVM

VICTIMAE. atque vt hæc esse vera luce ipsa clarius cernere possitis, recita mihi dei oraculum, audite exsecrationem, iurisiurandíque, quod cũ Amphictyonibus vestri maiores iurauerunt, memoriam repetite.

ORACVLVM. IVSIVRANDVM. EXSECRATIO.

Non prius hanc vrbis captam delebitis arcem,
Quàm Phœbi templum fluctus grauis Amphitritæ
Alluat, horrendum ad sacra tollens littora murmur. Hac exsecratione facta, hoc iureiurando concepto, hoc oraculo edito, quæ omnia in tabulas publicas relata adhuc extant, Locri, Amphissenses, immò verò eorum principes ac magistratus, iuris & legum contemtores, campum illum coluerunt: portum sacrum, dirum ac sceleratum rursus munierunt, ac celebrarunt, cùm portoria ab ijs, qui præternauigabant, exigerent. nonnullos præterea pylagoros (sic enim appellãtur concilij Pylæi oratores) qui Delphos venissent, pecunia corruperunt: quorum in numero fuit Demosthenes. Nã suffragio creatus à vobis Pylagorus mille drachmas ab Amphissensibus accepit, ne quã eorum apud Amphictyones mentionem faceret. Illi autẽ stipulatione interposita promiserũt se quotãnis viginti minas ex pecunia illa nefaria ac scelerata refectas, Athenas missuros, vt in hac vrbe, summa cura, summóque studio Amphissensib⁹ opitularetur: qua quidem ex re hoc ei contigit, vt quemcunque vel priuatum, vel potestate præditum, vel liberam ciuitatem attingeret, vnumquemque horũ sua contagione incommodis & calamitatibus insanabilibus & pestiferis afficeret. Videte igitur quemadmodum deus & fortuna Amphissensium impietate fuerint superiores ac potentiores. Theophrasto prætore, Diogneto Anaphlystio hieromnemone (sic enim appellãt scribam Amphictyonicũ) vos pylagoros legistis Midiam illum Anagyrasium, qui vtinam multas ob causas viueret: & Thrasyclem Lesbium, & me vnà cũ his tertium. Accidit autem vt cùm salui Delphos peruenissemus, continuò Diognetus hieromnemon in febrim

brim incideret, itémque Midias. Alij Amphictyones in consilio aderant. Interea affertur ad nos ab ijs, qui suum in ciuitatem nostram studium ac beneuolentiam declarare cuperent, Amphissenseis tum valde demissos atque humileis, Thebanísque mirum in modum subseruienteis, decretum aduersus nostram ciuitatem attulisse, quo decreto populus Atheniensis quinquaginta talētis multaretur, propterea quòd nouo templo priusquàm precibus sollennibus expiatum esset, nouos clypeos dicauissemus cum legitima illa & conuenienti inscriptione, ATHENIENSES DE MEDIS AC THEBANIS, QVO TEMPORE HI CONTRA GRAECOS COMMISSO PROELIO DECERTARVNT. Ego arcessitus ab hieromnemone, & in consilium introire iussus, vt apud Amphictyones pro ciuitate nostra dicerem: venio non inuitus, quippe qui mea sponte hoc ipsum facere constitutum in animo haberem. cùm paullo cupidius ac studiosius ingressus essem, verbáque facere cœpissem, alijs Pylagoris seductis, quidam ex Amphissensibus homo petulantissimus, & (vt mihi quidem videtur) nullis artibus ingenuis eruditus, omnísque doctrinæ liberalis expers: fortasse etiam à deo aliquo irato in hanc amentiam impulsus: At si saperetis (inquit) vos Græci, ne nomen quidem populi Atheniensis his diebus commemorari sineretis, sed eos vt contaminatos atque exsecrabileis à templo arceretis. Et simul Phocensium societatem, quam Crobylus ille suaserat, commemorabat: multáque alia cōtumeliosa, acerba, atque odiosa in ciuitatem nostram expromebat, cùm ea diceret, quæ neque tunc aures meæ ferre poterant, neque nunc libenter oratione refrico. Itaque his auditis ita cōmotus ac perturbatus sum, vt nūquàm mihi antea quicquam in vita mea grauius ac molestius acciderit. Atque alia quidem, quæ tum locutus sum, prætermittam: hæc pauca de multis vobis exponam. Venit tum mihi in mentem, Amphissensium in terram sacram impietatis facere mentionem: quam terram co-

dem è vestigio, in quo insistebā (nam campus Cirrhæus templo Delphico subiacet, vnóque fere aspectu totus prospici potest) Amphictyonibus indicabā. Videtis (inquam) Amphictyones, campum hunc ab Amphissensibus vomere subactum & excultum, domos, figlinas, & villas inædificatas. cernitis oculis sceleratum & exsecrabilem portum munitum. Scitis ipsi (neque enim alijs testibus egetis) istos ex sacro portu vectigalia exigere, pecuniámque cogere. Et simul dei oraculum, maiorum iusiurandum, exsecrationem factam recitari iubebam, liquidò confirmans ac testificans, me pro populo Atheniensi, pro me, liberis, & domo mea, pedibus, manibus, voce, omnibus denique viribus, iuriiurando obtemperantē, deo & terræ sacræ opitulari, ciuitatémque nostrā religione liberare. At vos, Athenienses, vobis ipsi consulite. Canistrorū dies festus agi iam cœptus est: admotæ sunt altaribus hostię. ea petituri estis à dijs immortalibus, quæ vobis priuatim, ac reip. sint profutura. Vobiscum igitur ipsi considerate, & cogitate, qua voce, qua mente, quibus oculis, qua spe freti & confisi vota, & supplicationes facietis, si vos conscleratos, atque omnibus exsecrationibus deuotos, inultos dimittetis. non enim obscurè, sed apertissime in exsecratione scriptum est, cùm in eos, qui impij in deum extiterint, tum in eos, qui non prohibuerint, quibus supplicijs vtrosque affici oporteat: NE PVRE (inquit) LIBANTO, NEVE SACRIFICANTO, QVI APOLLINI, DIANAE, LATONAE, MINERVAE PROVIDENTIAE AVXILIVM NON TVLERINT, ET EORVM VICTIMAS DII IMMORTALES AVERSANTOR. Cùm hæc & alia huiusmodi multa pręterea dixissem, tandem dicendi finem feci, atque è consilio discessi. Tum clamor ab Amphictyonibus factus est, tum strepitus editus, & Amphictyonum vociferatio consecuta: neque iam de clypeis, quos dicaueramus, sed de Amphissensibus pœna afficiendis agebatur. Et cùm iam serum diei esset, prodit præco, ac prædicat,

dicat, vt quotquot è Delphis biennio pubertatem superassent, tum serui, tum liberi, hora diei prima cum falcibus & ligonibus ad eum locum, quem indigenæ Thutéum nominãt, conuenirét. Iterum idem præco prædicat, vt hieromnemones, & pylagori eôdem venirent, deo, & terræ sacræ auxilium laturi: quæcunque ciuitas non adfuisset, templo Delphico arceretur, scelere atque exsecratione obstringeretur. Postridie manè in eum locum, quem suprà diximus, venimus, in campum Cirrhæum descendimus. deinde portu illo diruto ac deleto, ædificijs incensis rediimus. Interea dum hæc agimus, Locri, Amphissenses, quorum domicilia, septem circiter millia passuum Delphis aberant, vniuersi armati manu facta in nos impetum fecerunt. quòd nisi properè nos in fugam coniecissemus, ac vix tandem Delphos peruenissemus, nihil propius actum esset, quàm vt funditus periremus. Postride Cottyphus, qui sentẽtias ratas faciebat, Amphictyonum contionem habuit. (contionem autem nominant, quãdo non solùm pylagori, & hieromnemones, sed ij etiam, qui vnà sacra faciunt, & qui ad cõsulendum oraculum venerunt, conuocantur.) Hîc iam grauiter atque acerbè accusati sunt Amphissenses: nostra ciuitas cõtrà magnis laudibus ornata est. Totius autem orationis hæc fuit clausula: decernitur vt hieromnemones ante proximum Pylæum cõuentum pro dicta die ad Pylas venirent, decretúmque vnà illud afferrẽt, quo decreto Amphissenses essent suorum in deum, terram sacram, Amphictyones scelerum pœnas daturi. Atque vt nihil à me confictum esse perspicere posʃitis, decretum ipsum vobis scriba recitabit. DECRETVM. Hoc igitur decreto à nobis cùm in senatu recitato, tum in cõtione ad populũ prolato, & actionibus nostris à populo comprobatis, & vniuersa ciuitate ad studiũ pietatis vehemẽter excitata atq; inflãmata, cùm Demosthenes pro pecunia illa Amphissensi, pronũtiata iã, atq; apud sequestrẽ deposita cõtrà diceret, egóq; cũ vobis inspectãtibus atq; audien-

tibus in furto manifesto deprehensum tenerem, neque iam posset homo alioqui audacissimus apertè ciuitatem in fraudem inducere, ingressus in curiam, & summotis imperitis, auctoritatem senatus perscribendam curat, eámque mox in contionem defert, eius, qui scripserat, inscientia fretus. Et vt hæc ipsa senatus auctoritas in cõtione confirmaretur, ratáque fieret, & vt à populo sciseretur, perfecit, cùm surrexisset iam cõtio, egóque discessissem, (neque enim vnquam passus essem) multitudine denique dimissa. Cuius quidem sciti caput hoc fuit, vt hieromnemo Atheniensium, & pylagori, qui posthac hoc munere functuri essent, ad Thermopylas & Delphos proficiscerentur ijs temporibus, quæ à maioribus nostris constituta sunt, verbo præclarè, & honestè: re turpiter, & flagitiose. Prohibet enim quo minus ad consessum illum Pylæum ad tempus occurrant, qui necessariò ante tempus à maioribus nostris constitutum & vsitatum erat futurus. sed aliud ei scito adscriptum est multo & apertius & acerbius, vt Atheniensium hieromnemoni, & pylagoris, qui post illa futuri essent, neque verborum, neque factorum, neque decretorum, neque vllius rei cũ ijs, qui illuc cõuenirent, esset vlla cõmunitas. At quid sibi verba illa volunt, NE SIT VLLA COMMVNITAS? vtrùm verum loquar, an id potius, quod vobis auditu iucundum futurum est? verum loquar. Nam quod ita semper ad voluptatem dicitur, hæc ciuitati nostræ mala, quæ videmus, inuexit. Non sinunt iurisiurandi memores esse, quod maiores nostri iurauerunt, non exsecrationis, non oraculi. Nos igitur, Athenienses, propter hoc populi scitum in vrbe mansimus: alij Amphictyones ad Thermopylas conuenerunt, præter vnam ciuitatem: cuius nomen reticere satius esse duco, & dij immortales prohibeant, ne cuiquam Græcorum similis accidat calamitas: & simul vt conuenerunt, bellum in Amphissenseis, exercitúmque decreuerũt, Cottyphúmque Pharsalium, eum, qui tunc decreta confirmabat, impera-

peratorem legerunt: quo tempore non erat in Macedonia Philippus, quin ne in Græcia quidem: ſed lõginquis in locis in media Scythia verſabatur: quem tamen mox audebit dicere Demoſthenes, à me eſſe in Græcos incitatum atque immiſſum. Ac primo quidem illo exercitu victoriam conſecuti, valde ſe clementeis ac moderatos in Amphiſſenſeis præbuerunt. Nam pro maximis eorum in deos immortaleis ſceleribus, pecunia eos multarunt, eámque pecuniam vt die dicta deo ſoluerent, multo antè edixerunt: & ſceleratos, commiſſorúmque facinorum auctores è ciuium numero ſegregarunt, atque exterminarũt: eos verò, quos ſua pietas ſolum vertere coëgerat, ab exſulio reuocarũt. Sed cùm illi neque pecuniam deo perſoluerent, & ſceleratos reſtituerẽt, & pios de ſententia Amphictyonum ab exſulio reuocatos, eijcerent, iam tum alterum contra Amphiſſenſeis exercitum duxerũt, cùm longo pòſt interuallo, ex bello, quod cum Scythis gérebat, reuerſus eſſet Philippus: cúmque dij immortales nobis huius pietatis imperium principatúmque detuliſſent, Demoſthenis auaritia, prædáque obſtitiſſet. At nónne vobis dij prædicebant, nónne præſignificabant, nónne præmonebant vt caueretis, propè humanam vocem mittentes? Nullam me Dius Fidius vnquã ciuitatem vidi apertius à dijs immortalibus conſeruari, à quibuſdam oratoribus perdi ac funditus euerti. Non ſatis valebat ad oſtentum illud, quod myſteriorum diebus ſignificatum fuerat, præcauendum, myſtarum interitus? Non Amyniades prædixerat, vt & caueremus, & certos homines, qui ab Appolline requirerẽt quid facto opus eſſet, Delphos mitteremus? non Demoſthenes aduerſabatur? cùm Pythiam cum Philippo facere diceret, homo omnis doctrinæ atque humanitatis expers, & hac, quam ei datis, licentia immoderatè perfruens, eáque ſe ad ſatietatem explens atque ingurgitans. Poſtremò nónne milites ſacris non litatis, non mactatis victimis ad perſpicuum vitæ periculum miſit? At nuper dicere auſus eſt,

Philippum iccirco in Atticam cum exercitu non inuasisse, quòd exta fuissent ei minus læta. Quo igitur supplicio dignus es? ò Græciæ labes & funus. Si enim ipse victor in eorum, qui victi erant, fineis non inuasit, propterea quòd exta victimarum ei non erãt læta, tu autem incertus quid esset omnino futurum, priusquàm exta inspexisses, milites ex vrbe misisti: vtrùm te corona donari propter cladeis & calamitates ciuitatis, an è ciuiũ numero segregari, atq; in vltimas terras amãdari oportet? Nã quid insperati, quid inexspectati nostra ætate non vidimus? non enim humanam vitam viximus, sed vt posteris sermonem de rebus inopinatis, & pæne dicam incredibilibus proderemus, in lucem editi sumus. Non rex Persarum, qui montem Athonem perfoderat, qui Hellespontum iunxerat, qui Græcos terram, aquámque poscebat, qui audebat in litteris scribere, se ab oriente sole ad occidentem, vnum esse omnium mortalium dominũ, nónne ille ipse nunc non de principatu & imperio, sed de corporis salute dimicat? nónne eosdem cernimus tum hac gloria, tum belli aduersus Persas suscepti principatu dignos esse habitos, qui templum Delphicum liberarunt? non Thebæ: Thebæ vrbs vicina & propinqua vno die ex media Græcia exscissa & sublata est? cui tametsi iure hæc calamitas acciderit, quippe quæ non rectè de summa re consuluerat, non tamen humanitus, sed diuinitus in eam amentiam ac temeritatem fuerat impulsa. Iam Lacedæmonij miserrimi, qui initijs duntaxat interfuerant, rémque illam cùm templum primùm occuparetur, leuiter attigerant, illi illi, qui sibi Græciæ principatum quondam arrogabãt, non propè adest cùm, vt Macedonibus dent obsides, suámque calamitatẽ, insignem ad posteritatis memoriam sempiternam faciant, iterum ad eum legationem sint missuri, pœnas ipsi cum sua patria Alexãdri arbitratu daturi? denique, quod est miserrimum, & victoris & iniuria lacessiti iudicium æquitatémque subituri? Vrbs verò nostra, cõmune olim Græcorum

corum perfugium, ad quam anteà legationes ex ſingulis Græciæ ciuitatibus ventitabant, ſinguli ſalutem à vobis accepturi, nónne nunc non de Græcorum principatu, ſed de patriæ ſolo decertat? Atquî hæc nobis acciderũt poſteaquàm Demoſthenes ad remp. acceſsit. qua de re præclarè Heſiodus. vetat enim quodam loco, populos erudiens atque inſtituens, & ciuitatibus cõſulens, ne improbos oratores approbent, néue in eis acquieſcant. dabitis autem mihi hanc veniam, Athenienſes, vt ego verſus vobis recitem. Arbitror enim nos ob eam cauſam dum pueri ſumus, poëtarum ſententias ediſcere, vt ætate iam corroborata ijs vtamur. Sic igitur canit Heſiodus.

At toti haud raròpopuli plectuntur ob vnum,
Qui ſcelera admittit, qui res molitur iniquas.
His autem exitium cœlo demittit ab alto
Iupiter, & letale malum, peſtémque, famémque.
Sic pereunt miſeri ciues: ſæpe ille cohorteis
Interimit totas, ſæpe altas diruit vrbeis,
Et rapidis naueis iactatas obruit vndis.

Si poëtæ ſententias demto numero perpendatis, puto vobis non Heſiodi carmen, ſed oraculum in adminiſtrationem reip. & actiones Demoſthenis viſum iri. nam iſtius in rep. gerenda rationibus & inſtitutis claſſes, exercitus, vrbes deletæ, ac funditus euerſæ ſunt. Quinetiam exiſtimo neque Phrynondam, neque Eurybatum, neque alium quenquam eorum, qui olim improbitate excelluerunt, talem magum, aut planum, aut præſtigiatorem extitiſſe, qualis eſt Demoſthenes: qui auſus eſt dicere, ò terra, & vos, ò dij immortales, dæmones, atque homines, auſus eſt, inquam, dicere, vos rectis oculis aſpiciens, Thebanos ſocietatem nobiſcum feciſſe, non quòd temporibus cogerentur, non metu perterritos, non veſtra gloria famáque cõmotos, ſed Demoſthenis contionibus adductos. Atqui multas ante iſtum legationes Thebas obierunt homines illorum amantiſsimi: quorum primus fuit hic Thraſybulus Collyteus, imperator, vir apud Thebanos,

si quis alius, multùm auctoritate valens, valdéque apud illos gratiosus. Deinde Thraso Archicus, cũ quo Thebani hospitium publicè fecerũt: Leodamas Acharneus, cui non minor est, quàm Demostheni, dicendi facultas: meo quidem iudicio, maior orationis suauitas: hic Archidamus Pelex, ipse quoque eloquens, & qui multa in rep. gerenda propter Thebanos pericula adijt: Aristophon Azenieus, contionator & populi magister, qui diutissime Bœoticis partibus studuisse insimulatus est: Pyrander Anaphlystius, orator, qui etiam nunc viuit. Nullus horum tamen Thebanos vobis conciliare, &, vt vobis amici essent, flectere potuit. cuius rei causam cùm sciam, non necesse habeo propter eorum calamitates exponere: sed posteaquàm (opinor) Philippus Nicæam ijs ademtam Thessalis tradidit, & quod bellum ex Bœotorum finibus depulerat, hoc idem bellum rursum per Phocidem in Thebas ipsas traduxit, atque ad extremum Elatéam occupatã vallo muniuit, in eámque præsidium imposuit: hîc tum illi malorum propinquorum ac iam instantium metu excitati Atheniensium auxilium implorarunt. vos itaque exercitum eduxistis, Thebas introijstis armati, pedites & equites, priusquàm Demosthenes vnam de societate syllabam scripsisset. Quæ res Thebas vos intromittebant? tempus, metus, societatis vtilitas ac necessitas, non Demosthenes. Namque his in rebus tria in vos vel grauissima peccauit Demosthenes: vnum quòd cùm Philippus verbo vobiscum bellum gereret, re vera longe acerbiore odio Thebanos persequeretur, quo modo res ipsę declararunt: (quid enim pluribus opus est?) de his omnibus rebus tãtis, tantíque ponderis vos celauit: & societatem nobis cum Thebanis futuram simulans non quòd ita rationes & tempora Thebanorum postularent, sed quasi ea res consilijs & legationibus suis conficeretur: primùm persuasit populo ne spectaret, néue magnopere attenderet quibus conditionibus societatem facere conueniret, sed satis haberet, si fieret

ſi fieret modo. Hoc autem occupato, & pæne dicam expugnato, vniuerſam Bœotiam Thebanis dedidit, cùm decreuit, vt ſiqua ciuitas à Thebanis deſciſceret, Athenienſes Bœotis, qui Thebis eſſent, opitularentur, verbis (vt ſolet) inſidioſis res ipſas ſuffurans, & occultans, alióque transferens, quaſi verò Bœoti re detrimento, malóque accepto, verbis à Demoſthene callidè & artificioſè compoſitis contenti eſſent futuri, & non incommoda, iniuriáſque acceptas grauiſsimè laturi. Deinde ſumtuū belli parteis duas vobis adſcripſit, qui longius à periculo aberatis: tertiam Thebanis, quorum præcipuè res agebatur: in his ſingulis turpiſsimè nundinatus ac prædatus: imperium maritimum cum illis communicauit, impenſam propriè noſtram eſſe voluit: terreſtre (ſi nugis omiſſis ſeriò loqui volumus) totū prorſus ad Thebanos tranſtulit, adeò, vt in eo bello, quod natum eſt, Stratocli, noſtro imperatori de militum ſalute facta non ſit ſtatuendi poteſtas. Atque hæc non & ego in iudicium voco, & alij prætermittunt: ſed & ego crebris ſermonibus vſurpo, & omnes reprehendunt, & vos ſcitis, neque iraſcimini. Sic enim in Demoſthenem animati eſtis: veſtræ iam aures audiendis eius facinoribus & flagitijs occalluerunt. Itaque nihil noui quod miremini, veſtris auribus áccidit, cùm de eius factis auditis. At longè aliter facere vos oportet. oportet vos iniquo animo ferre, oportet in eū animaduertere, ſiquidem reliquas reip. parteis incolumeis retinere, & conſeruare vultis. Alterum Demoſthenis peccatum eſt longè ſuperiore grauius, quòd ſenatum & conſilium publicum ciuitatis, & populi dominationem ac libertatem nobis inſidioſè ademtam, Thebas tranſtulit, atque in Thebanam curiam traduxit, rebus & actionibus noſtris cum principibus Bœotorum pactione facta communicatis. Tantam autem ſibi iam potentiam comparauit, vt contione occupata, atque adeò obſeſſa, glorietur ſe quoquò velit, etiam ſi non mittatis, legatum profecturum. Si quis verò imperatorum ei in di-

cendo aduersetur, prætoribus oppressis atque in seruitutem redactis, & assuefactis nihil contra ipsius voluntatem dicere, minetur se suggesti nomine prætorium in ius, iudiciúmque vocaturum. Plura enim commoda, pluresque vtilitates sua opera è suggesto, quàm per imperatores è prætorio ad vos peruenisse. Iam in externo exercitu cùm integer non esset militum numerus, quæstúmque ex ea re faceret vberrimum, pecuniam militarem furaretur, decem millia externorum militum Amphissensibus mercede accepta locasset, abductis atque subreptis militibus, nónne me testante deos & homines, & dolenter in contionibus infelicem statum ciuitatis, & imminentem reip. casum deplorante, prope modum vrbem imparatam in extremum discrimen adduxit? Quid enim putatis Philippum temporibus illis fuisse optaturum? non vt separatim cum vrbanis copijs, separatim cum externis militib⁹ ad Amphissam prœlium committeret? Græcos tanta plaga accepta omni spe salutis orbatos opprimeret? Et tamen Demosthenes posteaquàm tot malorum ciuitati causa extitit, impunitate non est contentus, sed nisi corona aurea donabitur, ferendũ non putat, neque ei satis est præconis vocem de eo in cõspectu vestro prædicare, sed nisi Græcis presentibus atque inspectãtibus predicatio fiet, indignabitur, ferẽdũ nõ putabit. Ita improba natura, vt appâret, magnã potestatẽ adepta, populis ac ciuitatibus liberis insigneis calamitates importare solet. Venio iam ad tertium tempus, omnium, quæ suprà dicta sunt, multo maximum. Cùm Philippus Græcos minime contemneret, sciretque (non enim stolidus nec hebes erat) se de bonis, fortunisque omnibus breui temporis momẽto decertaturum, atque iccirco pacem facere vellet, legatósque missurus esset: cùm altera ex parte magistratus ac principes Thebanorum periculum propinquum ac ceruicibus ciuitatis impendens pertimescerent, (neque iniuria: non enim eos orator, qui militiam subterfugisset, locúmque ab imperatore

ratore datum reliquiſſet, monuerat, ſed bellum Phocenſe, decennium in Phocide verſatum, documẽtum ijs dederat, cuius etiam tunc hæreret in eorum animis memoria ſempiterna) cùm igitur hæc ita ſe haberent, cúmque animaduerteret ac ſuſpicaretur Demoſthenes Bœotiæ principes priuatim pacem facturos, auro ſine ſe à Philippo accepto: non eſſe cur viuere vellet arbitratus, ſiqua quæſtus & nundinationis ſocietate excluderetur, repente in contionem proſilijt, neque dicente quoquam mortalium, pacem cum Philippo facere oportere, neque negãte, ſed quia exiſtimabat ſe hoc veluti præconio, Bœotorum principibus multo ante prędicare ac denuntiare, vt ſibi pecuniæ captæ, prædęque partem referrent, per Mineruã iurabat, quam ſcilicet eò fabricat⁹ eſt Phidias, vt in ea quæſtus faciẽdi rationem quæreret, periurijq́ue fraudem ſuſciperet Demoſthenes: ſiquis pacem eſſe cum Philippo faciendam diceret, ſe eum capillo arreptum, in carcerem abducturum, Cleophontis imitans in adminiſtrãda rep. rationem & inſtitutum: qui bello Lacedæmonio (vt à maioribus noſtris accepimus) ciuitatem funditꝰ perdidit. Sed cùm principes Thebanorũ, quid ille vellet non magnopere neque laborarent, neque attenderent, militéſque veſtros ex vrbe iam ad bellum egreſſos remiſiſſent, vt vos de pace deliberaretis: tum iſte de gradu ac poteſtate mentis deiectus, & impotẽtia animi præceps, contionem occupat: ibi Bœotiæ principes, Græcorum proditores nominabat, populi ſcitum ſe facturum dicebat is, qui hoſteis nũquam rectis oculis auſus eſt intueri, quo vos Thebas legatos mitteretis, qui à Thebanis iter per eorum fineis aduerſus Philippum poſtularent. Thebani principes autem ſummo pudore affecti, ac veriti, ne reuera Græcorum proditores eſſe viderentur, à pacis conſilio refugerunt, atque ad exercitum comparandum, inſtruendúmque excitati ſunt. Hoc loco, Athenienſes, operæ pretium eſt fortium virorum meminiſſe, quos cùm iſte non immolatis hoſtijs, & inauſpicatò ad

certum, perspicuúmque vitæ discrimen compulisset, ausus est fugacibus, & loci desertoribus pedibus in mortuorum sepulcra ascendere, eorúmque virtutem laudare. O ad res magnas ac serias omnium hominum ineptissime; ad orationis cōfidentiam, verborúmque audaciam accōmodatissime ac paratissime: incipiésne, audebísne dicere in ora horū intuens, tibi propter ciuitatis calamitates coronā deberi? aut vos Athenieñses, si dixerit, patiemini? feretis? vt vnà cum ijs, qui mortem obierunt, vestra quoque memoria (vt appâret) moriatur? Adeste mihi, quæso, Athenienses, animis, ad exiguum spatium temporis, non iam in iudicio, sed in theatro, & fingite vos præconem antecedentem, prædicationémque coronæ ex populi scito futuram recitantem intueri: & vobiscum ipsi considerate, vtrùm putetis mortuorum propinquos ob tragœdiarū spectacula, heroúmque grauissimos casus, & acerbissima incommoda, quæ postea exprimentur & referentur in scena, maiorem vìm lacrymarum profusuros, an ob ciuitatis iniquitatem & demētiam? Quis enim non Græcus modò, sed homo liberaliter institutus non ingemiscat, si nihil aliud, illud saltem in theatro recordatus, hoc quondam die tragœdis, vt nunc, in scenam prodituris, quo tempore melius erat morata ciuitas, & à magistratibus melioribus gubernabatur resp. præconem, simulac prodijsset, productis orbis filijs, quorū patres in bello occiderant, adolescentulis totius corporis armatura decoratis, pulcherrimum, & ad virtutem expetendam acerrimum præconium pronuntiare solitum? *POPVLVM HOS ADOLESCENTVLOS, QVORVM PATRES IN BELLO FORTITER PVGNANTES CECIDERVNT, VSQVE AD PVBERTATEM ALVISSE, NVNC AVTEM HAC ARMATVRA TECTOS AVSPICATO, ET BONIS OMINIBVS, VT AD RES SVAS REVERTANTVR, DIMITTERE, ET AD SVVM QVEMQVE ORDINEM,*

NEM, IVSQVE OBTINENDAE IN REP. DIGNITATIS VOCARE. Hæc igitur tum prædicabat: nunc verò non item. producto enim eo, qui liberis orbitatis ac solitudinis causa fuit, quid prædicabit, aut quid loquetur? Nam & si ea ipsa, vt præscripta & composita sunt, decreti verba recitabit, non tamen erit muta ea, quæ ex veritate nascitur, turpitudo: quin verba maximè repugnantia & contraria voci præconis loqui videbitur, *POPVLVM ATHENIENSEM, HVNC VIRVM,* si quidem iste vir est, *CORONA DONARE VIRTVTIS ERGO,* nequissimum: *FORTITVDINIS,* timidissimum, locíque desertorem. Obsecro vos, Athenienses, per Iouem, reliquósque deos immortaleis, ne tropæum de vobis ipsis in orchestra Liberi patris figite, ne populum Atheniensem in conspectu Græcorum furoris & amentiæ condemnate, ne calamitosis atque infelicibus Thebanis insanabilium & desperatorum malorum memoriã refricate: quos propter hunc fugere coactos in vrbem vestram recepistis, quorum fana, sepulcra, liberos Demosthenis turpissimæ nundinæ, mercatúsque domesticus, & aurum regium perdiderunt. Sed quoniam corporibus tum adesse non potuistis, nunc adeste animis, & putate vos eorum calamitates intueri: fingite cogitatione imaginem vrbis captæ, cuius mœnia diruuntur, ædes incendio deflagrant, mulieres & pueri in seruitutem rapiuntur, viri ac mulieres grandes natu, exacta iam ætate, serò libertatis dulcedinem dediscunt, plorantes, vobis supplicantes, irascentes denique non ijs, qui à se tam crudeleis pœnas expetiuerunt, sed ijs, qui tot ac tantorum sibi malorum auctores & causæ extiterunt, orantes atque obtestantes, ne vos vllo modo in animum inducatis Græciæ procellam, pestémque corona donare, sed potius vt fatum ac fortunam, quæ hominem comitantur, summo studio vitetis. Nam neque vlla ciuitas, neque quisquam singularis & priuatus homo ex negotio

ſuſcepto pulchrè vnquam diſceſsit vſus Demoſthenis conſilio. Non pudet vos, Atheniēſes, in portitores, qui Salaminem tranſuehunt, hāc legem tuliſſe, vt ſiquis eorum in tranſuectione etiam inuitus & inconſultò nauigium euerterit, ne ei poſtea liceat eſſe portitori, nequis in hominum Græcorum capitibus ac perſonis, ſubitis & ex tempore captis conſilijs vſus inconſideratè negligentérque verſetur: ei vero, qui Græciam, noſtrámque ciuitatem funditus euerterit ac perdiderit, reip. iterum gubernandæ facere poteſtatem? Sed vt ad quartum tempus veniamus, & de hoc rerum ſtatu, in quo nunc verſamur, dicere incipiamus, illud vos admonitos velim, Demoſthenem non ſolùm in caſtris atque in acie locum non tenuiſſe, verùm etiam ciuitatis veſtræ triremi vectū à Græcis pecunias exegiſe: quem cùm inſperata ſalus ex prœlio in vrbem reduxiſſet, primis temporibus paullum cōtremiſcebat, atq; exſanguis & ſemimortuus in cōtionē prodibat, ſuadens vobis, vt ſe pacis cuſtodē ac pacificatorem crearetis. Vos autem initiò Demoſthenis nomen ne adſcribi quidem populi ſcitis ſinebatis, ſed hoc negotium Nauſicli dabatis. & tamen nunc iam etiam coronam ſibi deberi contendit. Mortuo poſtea Philippo, atque ad regni ſucceſsionem vocato Alexandro, idem rurſum monſtra & portenta nobis edens, in Pauſaniam ſollennia ſacra inſtituit, ſenatúmque ſcelere obſtrinxit, quòd ſupplicationem & ſacrificia dijs immortalibus ob nuntium de Philippi interitu acceptum decreuiſſet: Alexandro Margitæ cognomen contumeliæ cauſa imponebat, nec confirmare dubitabat, eum nunquam ſe ex Macedonia commoturum: ſatis ei eſſe ſi Pellæ deambularet, & viſcera paterna cuſtodiret. Atque hæc ſe dicere prædicabat non coniectura ductum, ſed quòd certò ſciret virtutem non niſi ſanguine comparari, homo alioqui exſanguis: qui Alexandrum non ex Alexandri ingenio ac natura, ſed ex ſua timiditate ignauiáque fingeret. Cùm igitur cenſuiſſent iam Theſſali ciuitati noſtræ bellum

lum inferendum, iuuenis tum primum offensus atque irritatus esset, neque iniuria, Thebæ iam ab Alexãdro circumsessæ essent, castráque ad mœnia posuisset: legatus à vobis suffragio creatus Demosthenes, è medio Cithærone sese in fugam coniecit, ac reuersus est, neque in pace, neque in bello ciuem se reip. vtilem præbẽs. Et quod est omnium grauissimum, cùm eum vos neque prodideritis, neque in Græcorum concilio condemnari passi sitis, iste vos planè prodidit, siquidem vera sunt, quæ dicuntur. Narrant enim Paralij, & qui legati ad Philippum profecti sunt, (neque verò quisquam est, cui res credibilis non videatur) Aristionem quendam esse Plataicum Aristobuli pharmacopolæ filium: (sicui fortè vestrûm notus est) hic iuuenis olim cùm suis æqualibus forma præstaret, diu apud Demosthenem cõmoratus est: quid ageret autem, quídue pateretur, cùm dubium atque incertum sit, tum res mihi nequaquam dictu honesta est: veruntamen cùm (vt ego audio) & quis sit, & quomodo antea vixerit, notum sit nemini, Alexandri beneuolentiam blandimentis & assentatione collegit, in eius consuetudinem penitus sese immersit, in eius denique familiaribus & intimis numeratur. datis huic ad Alexãdrum litteris Demosthenes metuendi finem fecit, securitatemque & cum eo in gratiam redeundi potestatem nactus est, multisque & varijs assentandi rationibus deintegro aditum sibi ad eius amicitiam comparauit. Ex hoc iam mihi cognoscite quàm valde res sit criminationi affinis & consentanea. Nam siquid horum sentiebat Demosthenes, si erat hostili in Alexandrum (vt nunc prædicat) animo, tria ei huius voluntatis declarandæ opportunissima tempora oblata sunt, quorũ nullo reperitur vsus: vnum cùm Alexander non ita pridem regni possessionem adeptus, rebus suis imparatis atque acerbis relictis, in Asiam penetrauit, quo tempore rex Persarum classe, pecunia, peditatu vigebat, ac florebat, idémque libenter vobiscum societatem belli fecisset, propter ea pericula,

quæ sibi impendêre præuidebat. Num tu verbum tunc vnum fecisti, Demosthenes, vllúmue decretum interposuisti? Vísne te timuisse, tuóque ingenio obsecutum esse ponam & cõcedam? Atqui timiditatem oratoriam reip. tempora non exspectant. Verùm simulac Darius cũ vniuerso exercitu descendit, cùm Alexander omniũ rerum difficultate atque inopia laborabat, in Cilicia interclusus hærebat (vt tu ipse dicebas) cum illum continuò (cuius tu quoque orationis auctor eras) Persicus equitatus conculcaturus erat, iam tunc ciuitas non odium, non insolentiã, nõ epistolas tuas capere poterat, quas tu extremis digitis suspensas tenens in foro volitabas: nonnullis etiam os meum indicabas tãquam hominis metu perterriti, animóque debilitati & abiecti, me aurata fronte iuuencum appellabas, & siquid offenderet ac titubaret Alexander, iam iam infulatum & coronatum esse, ac quàm primùm immolãdum esse dicebas. Ne hic quidem quicquam egisti, sed rem in aliud tempus nescio quod magis idoneum distulisti. His igitur omnibus prætermissis, de præsenti rerum statu dicam. Lacedæmonij, & exercitus externus, secundum fecerant prœlium, Corrhagíque imperatoris milites conciderant, fuderant, occiderant: Eléi vnà cum eis à Macedonibus defecerant, Achæi præterea omnes præter Pelleneos: Arcadia tota præter Megalopolim. ea autem à Lacedæmonijs obsidebatur, erátque hominũ opinio primo quoque tempore eam in Lacedæmoniorum potestatem venturam: Alexander extra septentrionalem plagam, & pænè dicam habitabilem terram discesserat: Antipater multum iam temporis in cõparando exercitu consumserat, sed qualis, & quantus esset futurus, erat obscurum. Hîc nunc ostende, Demosthenes, quæ gesseris, quæ dixeris. ego tibi, si tibi commodum est, contione cedam, quoad dicendi finem feceris. Taces. Et quidem tibi ignosco, si nihil tibi, quod dicas in mentem venit. verùm ego ipse nunc quæ tu tum dicebas, commemorabo, atque exponam.

Excide-

Exciderúnt ne vobis è memoria, Athenienſes, verba illa dura, odioſa, obſcæna, intolerabilia, quæ miror vos, ò ferrei, patienter audire potuiſſe: cùm ita diceret è loco ſuperiore, Sarmenta ciuitatis certi homines amputant: Quidam populi palmites exciderunt: Rerum nerui ſuccisi ſunt: Storearum inſtar in anguſtum cogimur: Quidam podicem quaſi acubus aut mugilibus transfodiunt. Vtrùm ſunt hæc verba ò bellua, an portenta? Quid cùm te in omnem partem verſans in contione dicebas tanquam Alexandri rebus aduerſans: Fateor, me Lacedæmonios ad conſentiendum & conſpirandum contra Alexandrum concitaſſe: fateor me Theſſalos ac Perrhæbos ad defectionem impuliſſe. Túne vicum vllum ad defectionem impellas? Túne non dico ad vrbem, ſed domum vllam, vbi ſit aliquis periculi metus, accedere atque aſpirare audeas? minime, minime verò. Sed ſicubi pecunia expendatur, adſidebis, atque hærebis, nihil viro dignum geres: ſiquid optatum ac lætum caſu euenerit, id tibi vendicabis, teipſum ad res iam confectas ac transactas auctorem adſcribes: ſiquis metus alicunde oblatus ſit, aufugies: ſi bene ſperemus, bonóque animo ſimus, præmium poſces, & aureas coronas poſtulabis. Eſto. At popularis eſt. Si vos compoſitum, cultum, & venuſtum dicendi genus, quo homo vtitur, ſpectabitis, decipiemini, vt & iam antea ſæpe decepti eſtis: ſin eius naturam, reíque veritatem intuebimini, nunquàm id quidem vobis accidet. Hoc igitur modo potius rationem ab eo repoſcite. Conſiderabo vobiſcum quænam eſſe oporteat in ciuis popularis ac temperantis natura: & rurſum altera ex parte conſtituam vobis ob oculos, qualem veriſimile ſit eſſe hominem paucorem dominationi ſtudentem, ac fauentem, hominem nequam atque improbum: vos autem his duobus inter ſe comparatis, ſpectate iam mihi non vtro dicendi genere vtatur Demoſthenes, ſed vtrum viuendi inſtitutum ſit ſecutus. Vos igitur omneis arbitror mihi aſſenſuros, hæc in homine populari ne-

esse oportere: primùm vt à paterno, maternóque genere liber sit, nequis propter fortunam infiman atque infelicem infensus sit legibus, quæ populi potestatem continent, incolumémque conseruant: deinde vt ab eius maioribus profecta sint aliqua in populum beneficia: vel, quod est necessarium maximè, nullæ sint eis cum populo inimicitiæ susceptæ, ne, dum maiorum suorum casibus aduersis & calamitatibus opitulari, eorúmque iniurias vlcisci & persequi studet, eadem opera ciuitatem oppugnare conetur: tertio loco, vt domi in quotidiani victus cultúsque ratione frugi sit ac temperans, ne propter luxuriam, sumtúsque immaneis in libidine & flagitio positos largitionib⁹ se corrumpi sinat, turpémque sibi quæstum contra remp. instituat: deinde vt integritatem ac probitatem habeat cum eloquentia coniunctam: præclarum est enim oratorem consilio & ratione res optimas suscipientem ac sequentem, easdem doctrina politum dicendíque facultate instructum auditoribus explicare ac probare posse: sed si alterutro carendum sit, bona mens anteponenda eloquentiæ est: postremò eum forti animo esse oportet, ne in rebus aduersis, & difficilibus reip. temporibus, & in bellis populum deserat. At hominem paucorum dominationi studentem ac fauentem, alijs omnibus, planéque contrarijs studijs deditum esse cónuenit. Quid enim ea vobis iterare opus est? Videte igitur quid illorum, quæ suprà enumeraui, insit in Demosthene. Atque hæc consideratio adhibeatur ad illa omnia, quæ in homine populari diximus inesse debere. Fuit isti pater Demosthenes Pæanieus, vir fortuna liber (non enim mentiendum est) genus autem eius maternum, auíque materni quale sit dum vobis expono, quæso, diligenter, vt adhuc fecistis, attendite. Gylo quidam fuit Cerameïcus. hic Nympharum templo, quod in Ponto est, hostibus prodito, quo tempore locum illum ciuitas in potestate, ditionéque sua tenebat, solum exsulij causa vertit, cùm supplicium extremum, quo damna-

tus erat, subire noluisset. Hinc in Bosporum proficiscitur. ibi cùm hortos, qui vulgò appellantur, à tyrannis dono accepisset, vxorem ducit sanè diuitem, ac bene nummatam, magnámque vim auri secum afferentem: sed genere Scythidem: ex qua duas filias suscepit. Eas huc cum grandi pecunia missas in matrimonium collocauit, alteram vxorem duxit nescio quis, (neque enim attinet me nominare quenquam, ne mihi multorum inimicitias conflem) alteram spretis ac neglectis legibus ciuitatis Demosthenes Pęanicus, ex qua vobis homo rebus superuacaneis atque inanibus deditus, & calumniator Demosthenes natus est. Negari igitur non potest, quin & ab auo materno populi Atheniensis hostis sit: (eius enim maiores capitis damnauistis) & à materno genere, Scytha & barbarus, & voce duntaxat Græcus: quo fit, vt improbitate non sit ciuis Atticus, neque Atheniēsis, sed aduena & peregrinus. Iam verò si eum ex quotidianæ vitæ ratione spectare velitis, qui homo est? ex trierarcho orationum scriptor & causidicus euasit, bonis paternis ridiculè dissipatis, atque absumtis. Deinde cùm in hoc negotio perfidiosus compertus & cognitus esset, orationésque, quarum nomine pretium iam acceperat, aduersarijs impertiret: repente in suggestum prosilijt. cùm ingentem à ciuitate pecuniam accepisset, perpusillam sibi reliquam fecit. Nunc verò aurum regium sumtus eius effusos irrigauit atque alluit. sed ne hoc quidem satis est. Nullæ enim vnquam diuitiæ praui ingenij voraginem explere potuerunt. Denique, vt in summa dicam, victum sibi non ex suis vectigalibus, sed ex incommodis & periculis vestris quærit & comparat. De mentis verò bonitate, dicendíque facultate, videamus qualem eum natura finxerit. verbo expediam. Oratione disertum, vita turpem. Sic enim corpore suo vsus est, sic liberis procreandis operam dedit, vt flagitia, quæ in se admisit, cōmemorare nolim. Vidi enim iam nonnumquam, qui alterius dedecus ac turpitudinem nimis apertè declaras-

ſent, ac palàm protuliſſent, eos nihil inde præter odium atque inuidiam eſſe conſecutos. Quid tum poſtea? quid ex hac præclara eloquētia quæritur ciuitati? verba comta atque ornata, facta humilia atque abiecta. Iam de fortitudine per mihi breuis reſtat oratio. Nam ſi vel ſe ipſe ignauum eſſe negaret, vel vos eum ignoraretis, diutius eſſet mihi in hoc loco commorandum. Nunc autē quando & ipſe fatetur in contionibus, & vos ad vnum ſcitis: reliquum eſt, vt leges, quæ his de rebus latæ ſunt, vobis in memoriam redigam. Solo ſcriptor legis antiquus iiſdem pœnis oportere obſtringi atque affici putabat, & eum, qui militiam ſubterfugiſſet, & eum, qui locum in acie non tenuiſſet, & eum, qui timidus miles fuiſſet. ſunt enim etiam contra timidos atque ignauos iudicia conſtituta. Atqui mirabitur fortaſſe quiſpiā veſtrûm, etiam propter ignauiam & naturam, quæſtiones eſſe conſtitutas. Sunt. quid ita? vt vnuſquiſque noſtrûm pœnas legibus irrogatas magis quàm hoſtem extimeſcens, tāto fortius pro patria decertet. Lator legis igitur eum, qui militiam ſubterfûgit, & eum, qui locum non tenuit, & eum, qui hoſtem extimuit, & luſtralibus vaſis prohibet, & foro arcet, & vetat corona donari, nec ad ſacrificia vniuerſi populi nomine inſtituta admittit. Tu verò, quem per leges corona donare non licet, ei nos tuo decreto imponere coronam iubes: tuo decreto tragœdis in orcheſtram hominem indigniſsimum vocas: ad Liberi patris ſacrum, eum, qui ſacra & fana omnia ignauia & timiditate coactus prodidit, inuitas. Sed ne vos ab inſtituto ſermone longius abducam: facite vobis in mentem veniat, cùm ſe dicit eſſe popularem, non orationem eius, ſed vitā ſpectare: neque quem ſe eſſe prædicet, ſed quis ſit attēdite. Verùm quoniam iam de coronis & præmijs, quæ dari ſolent à populo, mentionem feci, antequàm mihi è memoria excidat, prædíco vobis, ac multo antè denuntio, niſi hæc multa & infinita dona ac præmia reprimetis, niſi has, quæ temerè & peſsimè, nouóq; exem-

plo

plo à vobis tribuũtur, coronas tolletis, neque eos, quos ornatis, præmióque atque honore afficitis, gratiam vobis habituros, neque res ciuitatis fore meliores. improbos enim nunquàm hac ratione sanabitis: bonorum animos frangetis ac debilitabitis. Quæ quidem verè à me dici, hoc vobis erit magno argumento. Siquis vos roget, Atheniéſes, vtrùm his temporibus rerum gestarum gloria nostrá ciuitas magis florere videatur, an maiorum nostrorum: neminem vestrûm negaturum arbitror, quin hanc ciuitatem maiores nostri longè florentiorem, & gloriosiorem viderint. Vtrùm tunc, an nunc viri meliores? tunc quidem virtute præstantes, nunc verò multo deteriores. At præmia, & coronæ, & præconia, & quotidianus victus in Prytanéo vtrùm tunc erant, an nunc, crebriora? tunc quidem ea, quæ sunt apud nos præclara atque honesta, raró tribuebantur, & virtutis nomen erat in magno honore ac pretio: nunc res ipsa sordibus obsolescit, atque adeò ludibrio est: denique coronas donatis non consilio & iudicio adducti, sed mala consuetudine deprauati. Hoc igitur rem ipsam attentius cõsiderantibus meritò absurdum, miniméque consentaneum esse videatur, præmia nunc increbruisse, ciuitatis potentiã tum maiorem quàm nunc fuisse: nunc homines esse deteriores, tunc viros fuisse meliores. At ego vobis quãobrem hoc ita áccidat, ostẽdere conabor. Putatísne, Athenienses, futurum vnquam fuisse, vt quisquam vel ad quinquatrus, vel ad aliud quodpiam certamen coronarium, pancratium, aut aliud aliquod grauioris luctæ genus se exercere vellet, si non fortissimus quisque, sed is, qui victoriam vel pacto aliquo interposito, vel gratia consecutus esset, corona donaretur? Nunquam quisquã se exerceret. Nunc autem, opinor, propter certaminis raritatem, & propter rei, de qua cõtenditur, dignitatem, & pulchritudinem, propter nominis denique æternitatem atque immortalitatem, quæ ex victoria oritur, reperiuntur nonnulli, qui corporibus suis in discrimen obla-

tis, grauissimísque laboribus susceptis quoduis periculum adire non recusent. Fingite igitur, virtutis ciuilis præmia, à vobis ipsis esse constituta, vósque huius certaminis sedere iudices, & simul illud considerate, si paucis ac dignis, & secundum leges præmia tribuatis, complureis vobis virtutis certatores exstituros: sin cuiuis, & ei qui pactus fuerit, gratificemini, etiam bona ingenia corrupturos. Quæ quidem à me rectè ac verè dicta esse intelligetis, si vos propositis exemplis paullo apertius docuero. Vter vobis vir melior fuisse videtur, Themistocles, qui tum classi exercituíque præfuit, cùm prœlio nauali ad Salaminem commisso Persas deuicistis, an Demosthenes, qui locum in acie reliquit? Miltiades, qui Marathonia pugna barbaros fudit, ac superauit, an iste, qui hostem nunquam ausus est rectis oculis intueri? ij, qui populum exsulantem à Phyla reduxerunt, an Demosthenis similis? postremò Aristides, cui iusto cognomen fuit, multum ei cognomini, quod Demosthenes habet, dissimile, an Demosthenes? Atqui nefas mediusfidius esse puto ijsdem diebus de hac bellua, & de viris illis meminisse. Ostẽdát igitur Demosthenes in ea oratione, quam habiturus est, vbi decretum sit, vt quisquam illorum virorum corona donaretur. Ergo ingratus erat populus? minimè. immò & populus magni & excelsi animi, & illi, qui hoc honore affecti non sunt, hac ciuitate dignissimi. Non enim se litteris, sed eorum, qui beneficium acceperant, memoria, quæ quidem ex illo tempore vsque ad hodiernum diem immortalis manet, ornari se putabant oportere. Sed operæ pretium est commemorare, quænam præmia, quæque munera consequebantur tum qui de rep. bene merebantur. Fuerunt temporibus illis, qui diuturno labore perfuncti, magnísque periculis aditis apud Strymonem fluuium Medos fortiter pugnãdo deuicerunt. hi cùm victores & incolumes huc reuertissent, præmium à populo petiuerunt. dedit eis populus magna (vt tum quidem videbantur) præmia, nempe vt in porti-
cu

cu Mercuriali treis Mercurios lapideos statuerent, ea lege tamen, ne sua nomina inscriberent, vt non imperatorum, sed populi inscriptio videretur. Esse autem vera ea, quæ à me dicuntur, ex ipsis versibus cognoscetis. inscriptum est autem hoc modo in primo Mercurio.

Ergo & erant illis fortissima pectora, quorum
Strymonis ad ripam gloria parta manet.
Primi etenim Medis ferróque, faméque peremtis
Inuenere suis hostibus exitium.

Secundi hæc inscriptio est.

At populus gratus meritis pro talibus, atque
Forti animo ducibus præmia digna dedit.
Pro re vt communi hæc cernens perferre labores
Audeat olim hominum pòst genitorum aliquis.

Tertius autem sic inscriptus est.

Ex hac vrbe olim Mnestheus comitatus Atridas,
Examen duxit Pergama ad alta virûm.
Quem tum Meonides Danaorum bellipotentum
Præstantem cecinit Marte fuisse ducem.
Sic sibi Cecropidæ non ducunt esse inhonestum
Virtutis dici, militiæ'que duces.

Est ne hîc vsquam ducum nomen litteris expressum? nusquam. sed est populi Atheniensis. Adite igitur animis & cogitatione ad porticum Pœcilam. omnium enim rerum præclararum extant vobis in foro monumenta. Quid igitur illud est, Athenienses, quod ego dico? hîc Marathonia pugna depicta est. Quis erat imperator? Neminem sanè vestrûm esse puto, qui non hoc ita rogatus, Miltiadem respondeat. At illic nusquam eius nomen inscriptũ est. quid ita? non petiuit hoc præmij? petiuit quidem, sed populus nõ dedit. verùm ei pro nominis inscriptione concessit, vt primus milites cohortans pingeretur. In æde igitur Matris deorum ad curiam quod præmium ijs, qui exsulem à Phyla populum reduxerunt, tribueritis, cernere potestis. populiscitũ scripserat, & obtinuerat Archinus Cœleus, vnus ex ijs, qui populum reduxerunt. Decreuit au-

tem primùm vt eis in sacrificium, & donum, quod in templis deorum immortalium suspenderetur, drachmæ mille attribuerentur. At ex ea summa si viritim distribuatur, decem drachmæ ad vnumquenque non peruenient. Deinde iubet vnumquenque oleagina, non aurea corona donari. Erat enim tum oleagina corona, pretiosa: nũc autem etiam aurea pro nihilo putatur. Neque verò vt id senatus inconsideratè, temeréque faceret, decernit, sed vt diligenter, accuratéque videret, quàm multi ex ijs tum in Phyla fuissent obsessi, cùm Lacedæmonij, & triginta tyranni in eos inuaserunt, qui Phylam occuparant, non quàm multi locum ad Chęroneam reliquissent, quo tempore hostes exercitum aduersus nos eduxerunt. Quæ quidem verissimè à me dicta esse, recitato vobis decreto cognoscetis. Recita. DECRETVM DE PRAEMIO IIS, QVI A PHYLA POPVLVM REDVXERVNT PERSOLVTO. Recita verò ex aduerso etiã id populiscitum, quod Ctesiphon scripsit Demostheni, grauissimorum malorum architecto atque auctori. POPVLI SCITVM IN DEMOSTHENEM A CTESIPHONTE SCRIPTVM. Hoc populiscito, eorum, qui populum reduxerunt, præmium deletur: si hoc honestum est, illud turpe: si illi meritò honore affecti sunt, hic immeritò corona donatur. Verùm ego audio, eum esse dicturum, me facere iniustè, qui res à maioribus gestas cum suis actionibus conferam. Non enim (inquit) Philemon pugil Olympico certamine coronam eò adeptus est, quòd pugilem illum antiquissimum Glaucum, sed quòd suæ ætatis certatores & pugiles superarit. Quasi verò nesciamus pugilibus inter se propositum esse certamen: ijs autem, qui coronam poscunt, cum ipsá virtute, cuius causa corona donantur, certandum esse. Præconem enim, verum esse, atque à mendacio longissime abesse oportet, cùm apud omneis Græcos in theatro de quopiam prædicat. Quare noli nobis pluribus verbis demonstrare, te remp. melius, quàm Patæcionem administrasse, sed hoc ostende

de te ex administratione reip. probitatis atque integritatis laudem esse consecutum: ita demum beneficij tui gratiam à populo repete. Sed ne vos ab instituto sermone longius abducam, epigramma, quod in eos, qui populum à Phyla reduxerunt, scriptum est scrib, a vobis recitabit.

EPIGRAMMA.

Virtutis causa hos populus vetus auxit honore,
Qui oppressis patriæ legibus imperium
Aggressos primi ex vrbe eiecere, periclis
Offerre haud veriti corpora pro patria. Propterea quòd eos, qui contra leges dominati fuerant, è ciuitate eiecerunt, omníque iure ciuitatis priuarunt, honore affectos esse dicit. Hærebat enim etiã tũ in auribus atque in animis omniũ, neque dum è memoria effluxerat, populum illo maximè tempore funditus euersum fuisse, pòstquàm nonnulli iudicia de decretis contra leges factis sustulerunt. Nam, vt ego de patre meo audiebam, (qui anno ætatis suæ nonagesimo quinto excessit è vita, cùm quidem omnium in ciuitate laborum ac periculorũ socius ac particeps fuisset) is igitur cùm vacuus esset, mecum sæpe loquebatur: dicebat autem primis illis temporibus, quibus populus fuerat reuocatus, siqua accusatio de decretis cõtra leges factis in iudicium deducta esset, nomẽ & factum apud eos planè fuisse similia. Nam quid eo, qui cõtra leges aliquid vel agit, vel dicit, sceleratius excogitari queat? Itaque, quemadmodum ille mihi narrabat, longè alia, quàm nunc solent, ratione iudices audiebãt. Erant enim in eos, qui decreta contra leges scripsissent, acerbiores, atque infestiores, quàm accusatores ipsi. sæpe numero scribam recitantem reuocabant, iubebántque legum, & decreti recitationem iterare: damnabantur denique ij, qui contra leges aliquid scripsissent, non si leges omneis transilijssent ac neglexissent, sed si vnam duntaxat syllabam immutassent, aut inuertissent. At perridiculum est, quod nunc fieri solet: scriba decre-

tum recitat contra leges factum: iudices proinde quasi carmen aliquod, & cantilenam, aut rem à iudicio alienam, nihílque ad id quod agitur, pertinentem, audiant, aliud agunt, eorúmque aures peregrinantur. Iam verò Demosthenis artibus turpissimam cõsuetudinem in iudicia sensim irrepere passi estis: versa sunt & commutata in peiorem partem iura ciuitatis. Accusator enim defendit: reus accusat: iudices quarum rerum iudices ac disceptatores sedeant, interdum obliuiscuntur: quarum rerum iudices non sunt, de ijs ipsis rebus sententiam ferre coguntur. reus si quando de reipsa, causáque dicere cœperit, dicit non se legitima scripsisse, sed alium iam antea cùm talia scripsisset, absolutum esse. quo quidem exemplo magnopere confidere, magnósque spiritus sumere Ctesiphontem audio. Atqui ausus est aliquando Aristophon ille Azenieus apud vos gloriari, se iudicia de decretis contra leges factis septuaginta quinque effugisse. Sed non ita priscus ille Cephalus, qui maximè popularis est habitus, non ita, inquam, sed planè contrarijs factis gloriabatur, cùm diceret, se, cùm plurima omnium decreta scripsisset, nunquam tamen de decretis contra leges factis reum factum esse: & præclarè, mea quidem sententia, meritóque gloriabatur. Nam de decretis contra leges factis nomina deferebant inter se non ij modo, qui in rep. versabantur, verùm etiam sodales & amici, siquid aduersus remp. commisissent. Cui quidem rei illud vobis erit testimonio. Archinus Cœleus Thrasybulum Stirieum de decretis contra leges factis accusauit, cùm hic quiddam contra leges decreuisset, videlicet vt vnus ex ijs, qui secum è Phyla in vrbem reuertissent, corona donaretur: & reum peregit, recentibus etiam tunc eius erga populum beneficijs: quorum tamen rationem nequaquam iudices habuerunt. Existimabãt enim quo modo tum ipsos exsulanteis à Phyla Thrasybulus reuocasset, ita & nunc se in vrbe constitutos ab eo eijci, atque exturbari, cùm aliquid cõtra leges decerneret. Sed nunc

non

non ita fit: quin planè aliter. Vestri enim præclati imperatores,& nonnulli ex ijs, qui victum quotidianũ in Prytanéo meruerunt, iudicia de decretis contra leges factis pro alijs deprecãtur: quos quidẽ vos meritò ingratos iudicare debeatis. Siquis enim in ea rep. in qua penes populum est dominatio & potestas, honores & præmia cõsecutus, in tali præsertim ciuitate, quam & dij, & leges incolumẽ seruant, audet ijs, qui decreta contra leges faciunt, opitulari, eum ipsum reip. statum, à quo ornatus est, funditus euertit. Quænam igitur defensionis ratio patrono iusto ac modesto præscripta est? Dicam. In parteis treis diuiditur is dies, quo die accusatio de decretis contra leges factis in iudicium deducitur. Infunditur enim aqua prima accusatori, legibus, populi dominationi, ac maiestati: secunda reo, & eius defensoribus ac patronis, vbi crimen, quod in iudicium allatum est, prima sentẽtia dissolutum non fuerit: tertia iam aqua litis æstimationi, vestræque iræ, ac seueritati infunditur. Quisquis igitur in æstimatione litis tabellam iudicialem petit, iram vestram deprecatur. At qui in priore actione à iudicibus tabellam petit, iusiurandum petit, legem petit, populi dominationẽ petit: quorũ neque quicquã quemquã petere, neq; eum, à quo petitur, alteri condonare fas est. Iubete igitur, vt sinant vos secundum leges primam sententiam ferre, atque ita demùm litis æstimationi occurrant: denique, vt vno verbo absoluam, Athenienses, pæne dicam, in accusatione duntaxat de decretis contra leges factis, lex hæc feratur oportet, ne liceat neque accusatores dicẽdi adiutores ac subscriptores, neque reo patronos adhibere. Non est enim ius incertum aut infinitũ, sed vestris legibus terminatum ac definitum. Nam vt in arte fabricandi cùm quid rectum, quid non, scire volumus, regulã adhibemus, qua rectum à prauo discernitur: sic in accusationibus de decretis contra leges scriptis, regula iuris, nempe hæc tabula, quæ leges receptas & ratas cõtinet, ad decretum contra leges compositum,

& ad leges item contra legum veterum & probatarum auctoritatem ſcriptas adhibetur, atque adponitur. Hæc vbi inter ſe concinere & congruere oſtenderis, tum deſcende. Quid te Demoſthenem aduocare attinet? Nónne cùm iuſta ac legitima defenſione prætermiſſa, callidum & verſutum hominem, & artificem verborum aduocas, auribus inſidias comparas? ciuitatem detrimento afficis? populi dominationem labefactas? Sed quæ tandem ratio huiuſmodi verborum vitandorum ac propulſandorum reperiri poteſt? Dicam. Simulatque huc prodierit Cteſiphon, & cùm hoc ſibi compoſitum à Demoſthene prooemium pronuntiabit, tempúſque dicendo conſumet, nihil denique ad iuſtam defenſionem afferet: vos eum admonete, vt ſine clamore ac ſtrepitu, tabulam, quæ leges continet, in manus ſumat, legéſque cum decreto recitatas conferat, & contendat. Quòd ſi diſsimulabit ſe audire quid dicatis, ne vos quidem eum audite. Non enim ad hoc iudicium delecti veniſtis, vt eos, qui iuſtam ac legitimam defenſionis rationem fugiunt, audiatis, ſed eos, qui ſe rectè atque ordine defendere parati ſunt. Sin iuſta defenſione prætermiſſa, Demoſthenem vt pro ſe dicat, hortabitur, atque implorabit: primùm nolite ferre veteratorem & verſutum hominem, ſperantem ſe leges verbis euerſurum. Neque ſibi quiſquam ex hac re virtutis laudem quærat, ſi rogitante Cteſiphonte, liceát ne per vos Demoſthenem aduocare, primus clara voce reſpondebit, VOCA VOCA. In teipſum vocas, contra leges vocas, cõtra populi dominationem ac maieſtatem vocas. Sed ſi vobis Demoſthenes audiendus eſſe videatur, poſtulate vt eo modo Cteſiphontem defendat, quo modo ego accuſaui. Quónam pacto accuſaui? hoc ferè pacto, vt vobis in memoriam redigam: Ego non prius priuatam Demoſthenis vitam explicaui, non vllius publici criminis mentionem feci, cùm huius generis magna mihi copia ſuppeteret, alioqui omnium hominum infantiſsimus, ſummáque dicendi inopia affectus eſſem:

essem: sed primo loco ostendi, leges disertè vetare, ne corona donentur ij, qui rationum referendarum iudicio teneantur: continuóque certissimis argumentis demonstraui, & peruici, oratorem Ctesiphontem decreuisse, vt Demosthenes, is, qui iudicio referendarum rationum teneatur, corona donaretur, nulla præfatione vsum, non aliqua honesta oratione præposita, nulla speciosa causa prætexta, non adscriptis denique verbis illis, POSTEAQVAM RATIONES RETVLERIT: sed vobis, ac legibus planè despectis & contemtis. præterea causas, & recusationes, quibus ad hæc vsurus est, exposui: quas vt memoriæ mandetis, etiam atque etiam à vobis peto & contendo. Deinde leges de præconijs vobis recitandas curaui, quibus apertè cautum, & sancitum est, ne de eo, qui à populo corona donatur, extra contionem prædicetur. At orator, qui his legibus reus est, non solùm leges neglexit, ac violauit, verùm etiam tempus & locum prædicationi faciendæ constitutum perturbauit, vtpote qui decreuerit, vt non in contione, sed in theatro: non in contionem vocatis Atheniensibus, sed tragœdis iamiam in scenam prodituris prędicatio fieret. His expositis pauca de priuatis Demosthenis flagitijs & sceleribus attigi: magnam partem in publicis criminibus oratio mea versata est. Sic igitur & Demosthenem existimatote pro se & Ctesiphōte dicere debere: primùm ad legem de ijs, qui rationum referendarum iudicio tenentur: deinde ad eam, quæ de præconijs lata est, respondere: tertio loco ad illud longe omnium maximum & grauissimum, ipsum præmio ne dignum quidem esse. Quòd si vos oret, vt de ordine dicendi suo sibi arbitratu statuere liceat, promittens se in postrema defensionis parte, crimen de decreto contra leges facto dissoluturum, cauete hoc ei concedatis: neque vos fugiat, hanc esse veluti luctam ad eludendum ac supplantandum iudicium callidè comparatam. Non vult enim postea ad crimen decretorum contra leges factorum respōdere: sed cùm habeat causam ab om-

ni iure & æquitate derelictam, alijs rebus interiectis in obliuionem totius accusationis vos adducere cogitat. Quemadmodum igitur in certaminibus gymnicis videtis, pugiles inter se de corporis statu decertare: sic & vos cum eo totum diem pro ciuitate, & de dicēdi ordine depugnate: neque eum sinite extra crimen decretorum cōtra leges factorum longè à re proposita euagando orationem producere: sed toti in audiendo occupati, & huic veluti loco insidentes & inhærentes, eum ad orationem cum causa coniunctam, earúmque rerum, de quibus agitur, propriam reuocate: verborum denique ambages & declinationes à re proposita, quibus vti solet, diligenter obseruate. Meo autem officio non alienum esse puto vobis exponere ac prædicere quæ sint vobis euentura nisi Demosthenem hoc modo audictis. Producet enim hominem præstigiatorem, crumenarum sectorem, reip. vexatorem & carnificem. Hic enim facilius ad lacrymas & ploratum, quàm alij ad risum impellitur: omnium verò facillimè ad periurium perducitur. neque mihi mirū acciderit, si repente sese immutans, & à ploratu ad conuicia transferens, in eos, qui foris circumsistunt, maledicta congeret, dicétque, homines paucorum dominationi studēteis, & hoc numero ab ipsa veritate habitos, ad accusatoris suggestum: populareis autem, & libertatis studiosos, ad rei subsellia venisse. Hæc igitur cùm dicet, illud ei ad orationem seditiosam ac turbulentam contrà opponite: Si, qui è Phyla populum reduxerunt, tui similes fuissent, Demosthenes, nunquàm populi dominatus esset constitutus. nunc autem illi difficillimis reip. temporibus, extremóque pæne discrimine ciuitatem cōseruarunt, pulcherrimo illo & ab humanitate, doctrináque profecto verbo vsurpato, NE QVIS PRISTINARVM INIVRIARVM REMINISCERETVR. At tu præterita vulnera refricas, atque exulceras, maiórque tibi orationum in diem elaboratarū cura est, quàm ciuitatis. Cùm autem homo asiduè in periurio versatus, ad fidem iure-

iurando

iurando faciendam confugiet, illud eum admonete, ei, qui peierare consueuit, sempérque apud eosdem sibi fidem esse iurato postulat, duorũ alterum suppetere oportere, quorum neutrum consecutus est Demosthenes, aut deos nouos, aut nõ eosdem auditores. Iam quod ad magnitudinem vocis & lacrymas attinet, cùm ita è vobis quæret, Quò confugiam, Athenienses? si me ex rep. circumscribetis, non est quò me recipiam. Hæc ei contrà referte: At populus Atheniensis, Demosthenes, quò cõfugiet? ad quas sociorum opes & copias? ad quem apparatum? ad quam pecuniam? quod præsidium, quod propugnaculum per tuas actiones, & res gestas populo comparasti? Nam quibus rebus tibi consulueris ac prospexeris, omnes videmus. Vrbe enim relicta, non (vt hominum opinio est) in Piræeo habitas, sed eò loci ex vrbe demigrasti, vt siquid aduersi áccidat, è portu fugam capessas. Ad sumtum autem itineris, nequitiæ atque ignauiæ tuæ aurum regium, pecuniámque in perniciem reip. nefariè captam, & cõciliatam prouidisti ac præparasti. Denique quid sibi volunt tuæ lacrymæ? quid clamor? quid vocis magnitudo & cõtentio? Nónne reus est Ctesiphon? nónne causa certam litis æstimationem, certámque pœnam non continet? tu autem neque de fortunis, neque de capite, neque de fama & existimatione tua decernis. Qua tandem igitur de re laborat? de coronis aureis, & de præconijs contra leges in theatro pronuntiandis. Quem, si populus aut furore præceps, aut qualia sint tempora ciuitatis, qualísque reip. status, oblîtus tam alieno tempore corona donare vellet, ipsum in contionem prodire, atque hanc orationem habere oportebat: Coronam, Athenienses, quam mihi decreuistis, non aspernor, neque reijcio: tempus, quo prædicatio coronæ facienda est, improbo. Non enim cónuenit propter quas res in luctu & squallore fuit, comámq; totondit ciuitas, propter eas res me corona donari. Sed hac quidem oratione vteretur verè vir bonus, & qui vitã cum vera atque expressa vir-

tute cõiunctam vixiſſet. quæ tu dices verò, ſcelerati ſunt hominis, virtuti obtrectãtis, eiúſque inanem imaginem, vmbrámque cõſectantis. Non enim me Dius Fidius metuendum eſt, ne Demoſthenes magni ſcilicet vir animi, & rei militaris gloria excellens, præmiorum repulſa accepta, domum reuerſus, mortem ſibi ipſe conciſcat: qui vſque adeò laudis & gloriæ apud vos ſtudia deridet, ac pro nihilo putat, vt hoc puſillum caput rationum referẽdarum iudicio obſtrictum atque obligatum, quod iſte contra leges omneis coronandum decreuit, decies millies diſſecuerit: cuius quidem rei vberrimam mercedem tulit, accuſationibus de vulnere conſultò illato inſtitutis: colaphis denique à Midia contuſus, pugníſque conciſus eſt: quorum etiam nunc, opinor, extant in eius capite manifeſta veſtigia. habet enim homo non caput, ſed vectigal. Iam porrò de Cteſiphonte, qui ſcitum ſcripſit, pauca mihi nunc arbitror eſſe dicẽda. Multa autem præteribo, vt periculũ faciam de vobis vtrùm homines improbitatis notis inſigneis, etiam ſi vos nemo admoneat, ipſi per vos internoſcere poſsitis. id tantum, quod iſtorũ vtriuſque cõmune eſt, quódque de vtroque apud vos verè & meritò dici poteſt, vobis exponam. Iſti igitur in foro inambulant, veram alter de altero opinionem habentes, vocéſque minimè falſas iactantes. Negat ſe Cteſiphon de ſe quicquam timere: ſperat enim, ſe idiotam, & imperitum viſum iri: ſed Demoſthenis in adminiſtranda rep. quæſtus flagitioſos, & pecunias turpiſsimè contra remp conciliatas, veſanum ac ſtupidum pauorem, timiditatem, atque ignauiam, ea verò ſe nõ mediocriter pertimeſcere confirmat. Demoſthenes contrà cùm in ſe ipſe intuetur, ſe bene ſperare, bonóque animo eſſe prædicat: ſed Cteſiphõtis improbitate, & vita in lenocinio verſata vehementer commoueri ac perturbari. Quamobrem quando alter alterius opinione ac ſententia, iniuriarum & flagitiorum contra leges admiſſorum condemnatus eſt, eos vos cõmunes vtriuſque iudices nullo modo abſoluere,

ſoluere, aut crimine liberare poteſtis. Nunc autem pauca mihi de maledictis, quæ in me congeſturi ſunt, videntur eſſe prædicenda. Audio enim, Demoſthenem dicturum ex ſuis conſilijs atque actionibus, maximas ad ciuitatem noſtram vtilitates perueniſſe: à me verò eandem permultis damnis affectam, grauiſsimíſque incommodis afflictam eſſe: & ſimul Philippi & Alexandri potentiam, eorúmque malorum, quæ illi nobis inuexerũt, cauſas, & crimina mihi attributurum. Eſt enim (vt videtis) vſqueadeò callidus verborum opifex, vt nõ ſatis habeat vel ea, quæ ego in rep. geſsi, vel orationes, quas apud vos habui, vituperare, ſed etiam otium meum, & illud omne tempus, per quod negotia publica nõ adminiſtraui, malitioſè criminetur, meúmque ſilentium vituperet ac iudicio perſequatur, nequis ei locus ſcilicet à calumnia vacuus relinquatur. cœtus quoque ac ſermones, quos in gymnaſijs habui, reprehendit. Poſtremò ne hoc quidem iudicium ei culpa vacat, qui ſtatim initio dicendi ait me hãc accuſationem non ſtudio ciuitatis adductum ſuſcepiſſe, atque in iudicium deduxiſſe, ſed vt me Alexandro oſtentarem propter inimicitias, quæ illi cum iſto intercedunt. Et verò, vt ad me defertur, ex me quæſiturus eſt, cur ego caput rerum à ſe geſtarum reprehendam, atque in iudiciũ vocem, ſingulis actionibus non obſtiterim, neque eas accuſarim: ſed longo interuallo, & cùm in rep. adminiſtranda non aſsiduè verſatus eſſem, hanc cauſam in iudicium deduxerim. Ego verò neque Demoſthenis victus, vitæque conſuetudinem, & cœtus ab eo haberi ſolitos, imitari vnquam ſtudui, neque me meorum inſtitutorum pudet, neque eorum, quæ apud vos locutus ſum, pœnitet, neque ea, quæ à me dicta ſunt, non dicta velim, neque ſi eaſdem atque iſte habuit, contiones habuiſſem, manendum mihi in vita putarem. ſilentium autem meum, Demoſthenes, ex vitæ meæ cõtinentia, frugalitate, & moderatione natum eſt. Paruo enim contentus maiora turpiter non concupiſco. Itaque & ſi-

lentio vtor, & ad dicendum venio consilio, iudicióque adductus, non sumtibus effusis, & luxuria in animo, ingenióque insita coactus. At tu pecunia accepta, opinor, elinguis ac mutus fuisti: consumta autem ac profusa vociferatus es, clamoremque sustulisti. Dicis autem non cùm tibi videatur, neque ea, quę velis, sed cùm tui largitores, tuarúmq; operarum conductores tibi imperarint. Neque ea te pudet & tibi arrogare, & alijs attribuere, quibus in medium prolatis continuò mendacij conuinceris. Nanque hæc accusatio, qua decretum tuum persequor, quam me non vt ciuitati consulerem, sed vt me Alexandro ostentarem, suscepisse & instituisse dicis, deducta est in iudicium Philippo etiam tum viuente, prius quàm Alexander regnum obtineret, quo tempore nondum tuum illud de Pausania somnium videras: nondum cum Minerua & Iunone nocturnos sermones habueras. Cur me igitur Alexandro ante tempus ostentarem? nisi fortè ego ac tu idem somniauimus. At reprehendis me quòd non asiduè, sed spatio interposito, verser in rep. agámque cum populo: & nos ignorare existimas, te hanc vitę rationem, quam in me desideras, non ex populari dominatione, & ciuitate libera, sed ex alia reip. administrandæ forma longè diuersa, ac disimili huc transferre. Namque in ciuitatibus, quæ paucorum arbitratu, nútúque reguntur, non is, qui vult, sed qui dominatur, alterum accusat: in ciuitatibus verò liberis, & in quibus penes populum summa potestas est, is, cui commodum est, & quandocunque ei videtur. Et verò cum aliqua intermisione temporis dicere, virum ex reip. temporibus, & ex vtilitate communi, muneribus publicis fungentem indicat atque arguit: nullum verò tempus intermittere dicendi, operarij est, omnia quæstus ac mercedis causa facientis. Cùm autem ad hanc orationem cõfugis, nondum te à me accusatum esse, nõdum tuorum facinorum pœnas dedisse, vel auditores obliuiosos esse existimas, vel teipsum falsis rationibus in fraudem inducis ac decipis.

pis. Nam & eorũ, quæ impiè sceleratéque in rebus Amphissensium commisisti, & pecuniarum in rebus Euboicis turpiter captarum, nũdinationúmque tuarum fortasse propter diuturnitatem & longinquitatem temporis, quod intercesſit posteaquàm tu à me manifestò deprehensus & conuictus es, populum oblîtum esse speras. Rapinas verò tuas in triremibus & trierarchorum præfecturis improbisſimè atque impudentisſimè versatas, quænam temporis diuturnitas obliuione obruere aut oblitterare queat? cùm tu lege de trecentis nauibus lata, perpulsóque tua oratione populo, vt te rei nauali præficeret, deprehẽsus es à me sexaginta quinque naueis actuarias trierarchis ademisse? quo facto maiorem ciuitati nostræ classem subripuisti, quàm quæ tum suppetebat cùm Athenienses nauali prœlio, quod in Naxo commissum est, Lacedæmonios, Pollimque eorum ducem superarũt. Sic autem criminibus in alijs inferendis pœnas tibi debitas obsepsisti, atque obuallasti, vt non tibi, qui omnia iura diuina atque humana violasti, sed ijs, qui tuas iniurias, tuáque facinora iudicio persequuntur, periculum capitis & fortunarum impendeat, dum tu Philippum & Alexandrum inter calumniandum crebris sermonibus vsurpas, asſiduéque in ore habes: dum certos homines tempora ciuitatis ad rem bene gerendam idonea impedire insimulas: ipse præsentem occasionem, atque in manibus positam perdis & profligas, futura, & in incerto euentu collocata promittis, & venditas. Itaque ad extremum paucis antè diebus, quàm ego tibi nomẽ deferrem, tuo consilio, tuáque opera Anaxinus Orita comprehẽsus est, is, qui Olympiadi rebus emundis operam dabat, eundémque virum tua manu discruciasti ac distorsisti, composito prius decreto, per quod eum extremo supplicio afficiendum censeres, apud quem in Oreo deuersabare: quocum ex eadem mensa cibum ceperas, biberas, libaueras: cuius dexteræ dexteram iunxeras: cum quo amicitiam confirmaras, hospitiúmque feceras: quem ami-

cum atque hospitem appellaras,cum,inquam, interfecisti:& cùm tu huius sceleris ac perfidiæ audiente atque inspectante vniuerso populo Atheniensi à me conuictus tenereris, atque hospitis interfector nominatus esses, non factum impium negasti, sed ea respondisti, ad quæ & populus, & quicunque aduenæ contionem circumsistebant,clamorem sustulerunt:dixisti quippe,te ciuitatis salem,hospitali mensę prætulisse. Falsas epistolas taceo, speculatorum comprehensiones, tormenta adhibita ob crimina neque in quenquam conuenientia, neque vnquam in iudicium deducta, quasi ego in vrbe cum certis hominibus rebus nouis studerem. Audio præterea, cum ex me quæsiturum, qualis ille medicus habendus sit, qui ægro intereà dum ægrotet, nullum consilium det, nihílque præscribat, aut præcipiat, illo demum mortuo, nonóque post mortem die, cùm ad sacrificia nouendialia venerit,commemoret quædam mortui propinquis,quæ si diligenter æger obseruasset, conualuisset. Ex te ipso autem non quæris, Demosthenes, qualis sit ille contionator,populíque magister,qui populum blanditijs & assentatiunculis delinire & corrumpere sciat: tempora, quibus ciuitas conseruari poterat,vẽdiderit:ciueis optimè sentienteis,improbissimè calumniando à reip.administratione arceat, atque à consilio dando remoueat, ac deterreat:è maximis periculis elapsus atque seruatus, & detrimentis insanabilibus ciuitati importatis se virtutis ergò corona donandum esse contendat: nihil vnquam boni effecerit, omnium malorum atque incommodorum nostrorũ architectus & auctor fuerit: quorũ res gestas ijs temporibus, quibus ciuitatem seruari licebat, calumniatus sit, eos nunc interroget, cur se multa temerè in rep.molientem,& peccantem non compresserint,cur talia committere non prohibuerint.Illi verò nunc denique tibi ita responderint:Prœlio iam commisso, Demosthenes, otium nobis non erat de tuo supplicio cogitandi, sed de salute ciuitatis legatis huc & illuc missis agebamus,

bamus, atque in hac re vna toti eramus occupati. Verũ enim verò quando tibi non ſatis eſt pœnas non dediſſe, quin etiam præmia poſcis, quo facto aſſequeris, vt ludibrio ſit Græcis omnibus noſtra ciuitas, hîc tibi obuiam ire, hîc te in iudicium adducere inſtitui. Et mehercule eorum omnium, quæ dicturum eſſe Demoſthenem audio, hoc quod iam vobis dicam, indigniſsimè fero. Ingenium meum cum Sirenibus comparat, ſi dijs placet: ab illis enim auditores non permulcentur, aut delectantur, (inquit) ſed perduntur ac necantur. ex quo fit vt de earum cantu male exiſtiment homines: ſic meam dicendi facultatem vſu & exercitatione comparatam, meámque naturam, ijs, qui audiũt, damnoſam, ac pernicioſam eſſe. Atqui cùm hanc de me orationem, neminem omnino decere putem: (turpe eſt enim accuſatorem ea crimina, quæ cuipiam verbo obiecerit, re demõſtrare non poſſe) tum, ſiquis hac oratione neceſſariò vti debeat, eam non Demoſtheni, ſed imperatori alicui, & forti viro accõmodatam eſſe exiſtimo: qui res magnas, & ciuitati vehemẽter vtileis geſſerit, à dicendi autem facultate deſeratur: atque iccirco eloquentiam ſuis aduerſarijs à natura tributam admiratione dignam & vehementer expetẽdam iudicet: cùm intelligat, ſe nihil eorum, quæ fortiter & præclarè geſſerit, oratione explicare poſſe: accuſatorẽ contrà videat, etiã ea, quæ ille non egerit, ſic in eorũ cõſpectu ponere, oculíſque ſubijcere, vt ab eo adminiſtrata & perfecta eſſe videãtur. Nunc verò cùm homo totus ex verbis cõflatus atque cõcretus, híſque acerbis & moleſtis, odioſè accuratis ac putidis, ad orationis ſimplicitatem, & facta confugit, quis æquo animo ferat? cui ſiquis linguam, vt tibijs, demſerit, nihil reliquum fecerit. Atque equidem vos demiror, Athenienſes, cupióque de vobis audire, quid'nam ſitis in hac accuſatione veſtris ſententijs improbanda, & Cteſiphonte abſoluendo ſecuturi, quid ſpectaturi. An quòd ſcitũ legitimum eſt? at nullum fuit vnquam magis cõtra leges ſcriptũ. an quòd

is, qui scitum fecit, est innocens, neque vllam pœnam meretur? Ergo nullæ sunt apud vos rationum vitæ referendarum leges, nulla iudicia, si hunc absoluetis. Atquî nónne illud grauiter atq; acerbe ferri debet, si olim quidē coronis aureis, quib⁹ popul⁹ à Græcis donabatur, orchestra circūfluebat, quia hic dies coronis externis constitutus erat: nunc autem vos ex ijs consilijs atque institutis, quæ in administranda rep. secutus est Demosthenes, neque coronis donati, neque præconijs ornati estis: hunc vox præconis corona dignum prædicabit? Atquî siquis ex poëtis tragicis, qui paullo pòst histriones in scenā producturi sunt, faceret in tragœdia Thersitam à Græcis corona donari, nemo vestrûm ferret, quoniam dicit eum Homerus ignauum & sycophantam fuisse. Vos autem cùm tali homini coronam imponetis, non putatis vos tacita Græcorum opinione exsibilatum iri? Patres enim vestri res gloriosas, amplas, & præclaras populo adscribebant, humileis autem & abiectas, & vobis inferiores atque indignas, in malos oratores conferebant. At Ctesiphon arbitratur, quam ignominiæ maculam Demostheni detraxeritis, eam vos populo inurere oportere. Et tamen dicitis vos fortunatos esse, vt & estis, & esse debetis. Atquî decernetis, vobis fortunam quidem defuisse, Demosthenem autem benignè fecisse. Iam, quod est omnium absurdissimum, in ijsdem iudicijs eos, qui de donis ac muneribus turpiter & flagitiose captis damnati sunt, infamia notatis: ei, quem ipsi scitis mercede remp. administrasse, coronam imponetis? Et iudices Dionysiacos, qui iniustam atque iniquam de choris in orbem circumactis, & tralatitijs, & communibus sententiam tulerint, multare soletis: vos ipsi, qui non tralatitiorum & communium chororum, sed legum & virtutis ciuilis iudices sedetis, præmia non vt leges præscribunt, neque paucis ac dignis, sed ei, qui pactis & condicionibus interpositis, & per factionem obtinuerit, tribuetis? Et ex iudicio discedet talis iudex, qui seipsum infirmum,

atque

atque imbecillum, rhetorem robuſtum ac potentem effecerit? Nam priuatus homo in ciuitate libera, & in ea rep. in qua populus dominatur, lege & tabella iudiciali dominatur, & regnat: vbi verò hæc alteri condonarit, ac tradiderit, primùm ſuam ipſe dominationem euertit: deinde iuriſiurandi quidem religio, qua obſtrictus iudicat, aſsiduè eum comitans, & aſſectans angit & ſollicitum habet: (nam propterea, opinor, quòd iuſiurandum violauit, culpa eſt commiſſa) beneficij verò gratia ei, à quo gratiam inire voluit, obſcura eſt. Non enim ſententia palàm fertur, ſed in tabellæ latebra deliteſcit. Mihi porro videmini, Athenienſes, & conſiliorum incautorũ proſperos euentus habere, & in rep. adminiſtranda omnia fortunæ temeritati permittere: nihil conſideratè faciẽtes. Nam quòd vos multo maxima pars ciuitatis, præſertim his dubijs temporibus, neruos & firmamenta dominationis ac poteſtatis popularis paucis traditis ac proijcitis, laudare non poſſum: quòd noſtra ætate fætus oratorum non extitit, qui improbitatem habeant cum audacia coniunctam, felicitati noſtræ aſsigno. Talia enim ingenia tulit quondam reſp. quæ hoc modo populũ facilè perdiderunt. blanditijs enim & aſſentatiunculis delectabatur. Ita illum non ij, quos metuebat, ſed ij, quibus ſeipſum commiſerat & crediderat, funditus euerterunt. Nonnulli verò ex ijs etiam ipſi in numero triginta tyrannorum fuerunt, atque amplius mille quingentos ciueis indemnatos, ne criminibus quidem auditis, propter quæ erãt vitam amiſſuri, necauerunt: non ad ſepulturas mortuorum, non ad exſequias cohoneſtandas propinquos conuenire ſinebant. Ergo eos, qui remp. adminiſtrant, in poteſtate veſtra non habebitis? non hos, qui ☚ nunc rebus ſecundis elati & feroces inſoleſcunt, perculſos ac deiectos in alias terras amandabitis? Non venit vobis in mentem, nunquàm quemquam ad delendũ populi principatum acceſsiſſe, prius quàm opes iudiciorum auctoritate maiores ſibi cõparaſſet? Libenter equidem, Athe-

nienſes, vobis præſentibus, atque audientibus, cum iſto, qui decretum ſcripſit, perpendere & conſiderare velim, propter quæ Demoſthenis in remp. merita, ei coronam deberi contendat. Nam ſi dicis (vnde tui decreti principium duxiſti) propterea quòd foſſas mœnibus obductas pulchrè deſcripſit, ac perfecit: demiror te. Maiore enim reprehenſione dignum eſt, eum cauſam cur foſsis egeremus, fuiſſe, quàm ſi opus minus rectè effectum eſſet. Nō enim oportet eum, qui remp. bene geſsiſſe dicatur, eò præmium petere, quòd vrbis muros aggere & vallo munierit, quòd foſſas obduxerit, quòd publica ſepulcra excitarit, ſed quòd magni alicuius boni auctor ciuitati fuerit. Quòd ſi venies ad ſecundam decreti partem, in qua ſcribere auſus es, Demoſthenem eſſe virum bonum, & ſine vlla intermiſsione eas res & dicere & agere, quæ populo Athenienſi ſint vehementer vtiles, detracta arrogantia, ac iactatione verborum, facta ipſa in manus ſume: declara nobis atque oſtende quid dicas. Pecunias, quas cōtra remp. cepiſti, quæſtúſque ſordidiſsimos, quos in rebus Amphiſſenſibus, Euboicíſque feciſti, prætermitto. Cùm autem ſocietatis cum Thebanis factæ cauſas Demoſtheni attribuis, ignaros quidem totius rei homines fallis ac decipis: eos verò, qui ſciunt & intelligunt, contumelia afficis. omiſſo enim tempore, ſublatáque horum gloria & maieſtate, propter quæ hæc ſocietas facta eſt, obſcurū nobis eſſe exiſtimas, te ciuitatis dignitatem atque amplitudinem in Demoſthenem transferre. Quanta autem & quàm impudens ſit hæc arrogantia, ſigno luce clariore vobis planum facere conabor. Rex Perſarum paulló antè, quàm Alexander in Aſiam penetraſſet, miſit ad populum Athenienſem valde contumelioſam, & planè barbaram epiſtolam: in qua cùm alia valde inhumanè, & inſolenter loquebatur, tum illud in extrema ſcripſit: EGO VOBIS AVRVM NON DABO: NOLITE A ME PETERE. NON ENIM ACCIPIETIS. Hic idem periculis, in quibus etiam nunc verſatur, circumuentus

atque oppressus, populo Atheniẽsi non petenti trecenta ipse vltrò talenta misit: quæ tamen non accepit, summa in eo moderatione, & abstinentia vsus. Tempus igitur, metus, sociorum egestas, aurum ad nos pertulerunt. Eædem planè res Thebanorum societatem effecerunt. Atquî tu Thebanorum nomen in ore semper habes, & infelicissima illa societate commemoranda nos obtundis: sed septuaginta talenta ex auro regio, quæ tu præcepisti, atque auertisti, taces. Nónne ob difficultatem rei nummariæ cùm quinque talenta duntaxat externi milites in stipendium poscerent, Thebanis arcem tradere noluerunt? Nónne cùm Arcades ab bellum excitati suas omneis copias eduxissent, ducésque eorũ opem ferre parati essent, propter nouem talẽta res confecta non est? At tu diues es, habésque vnde tuis voluptatibus sumtum suggeras & suppedites, &, vt in summa dicam, aurum regium penes istum est, pericula vobis relicta sunt. Sed operæ pretium est eorum inscientiam, atque inhumanitatem considerare. Nam si Demosthenem aduocare audebit Ctesiphon, vt apud vos verba pro se faciat, & iste conscenso suggesto se ipsum laudabit, factis ipsis, quæ vobis acciderunt, quæ'que pertulistis, grauior vobis erit oratio. Nam cùm eos, qui re vera sunt fortes & boni viri, quibúsque multarum ac præclararum rerum gestarum testes & conscij sumus, laudes ipsi suas prædicent, ferre non posimus: vbi is homo, quem totius ciuitatis dedecus ac propudium esse constat, seipsum laudibus efferre cœperit, quis eum patiẽter audire poterit? Quapropter, Ctesiphon, si sapis, ab improbo atque impudenti negotio desistes, & causam tuam per te tueberis, ac defendes. Non enim hanc excusationem poteris afferre, te non esse instructum ad dicendum. Namque hoc tibi perabsurdum acciderit, si nuper quidem te legatum ad Cleopatram Philippi filiam populi suffragijs creari passus es, vt eam de Alexandri Molossorum regis morte consolareris, paríque cum ea molestia afficereris, nunc autem te

vllam dicendi facultatē habere negabis. Et alienā mulierē lugētem oratione consolari potes, scripto autē abs te mercenario plebiscito te ipse non defendes? An verò talis est is, quem corona aurea donandum censuisti, vt ab ijs, qui ab illo beneficium acceperūt, ignoretur, nisi quis se in dicendo tibi adiutorem præbeat? Quære ex iudicibus, nouerántne Chabriam, Iphicratem, Timotheum, & simul ab ijsdem cognosce, quamobrē illis præmia dederint, statuásque posuerint. Respondebunt omnes se Chabriam præmio affecisse propter pugnam naualem ad Naxum commissam: Iphicratem, quia Lacedæmoniorum legionem occidione occidit: Timotheum, propter nauigationem Corcyræ obsidione liberandæ causa susceptam: ceteros denique propter multas cuiusque res ac præclaras in bello gestas. At si quis vos ita roget, Demostheni præmium cur negabitis? respōdeatis, quia pretio habuit addictam fidem, quia sese muneribus corrumpēdum præbuit, quia timidus atque ignauus est, quia locum in acie non tenuit. Vtrùm igitur hunc honore, an potius & vos ipsos, & eos, qui pro vobis in prœlio occubuerūt, ignominia afficietis? quos, per deos immortaleis, putate vos videre, deorum atq; hominum fidem implo-ranteis, suámque condicionem lamentabili voce deplorantéis, si futurum est, vt à vobis homo iste corona donetur. Namq; acerbè atq; indignè, Athenienses, ferendum est, si cùm ligna, lapides, ferrum, res mutas denique, atq; inanimas, sensúque carenteis, si fortè in aliquem inciderint, eúmque exanimarint, exterminare soleamus, eiúsque, qui sibi necem cōciuerit, manum, quæ hoc cōmiserit, separatim à corpore sepeliamus: Demosthenem, eū, qui bellum hoc postremum sua sententia conflauit, qui exercitum ex vrbe educendum censuit, qui milites prodidit, honore afficietis. Ergo contumelia afficiuntur cineres, & ossa mortuorum: debilitantur, & frangūtur animi viuorum, cùm vidēt virtuti quidem pro præmio mortem esse propositam, memoriam autem sui nominis in-

terire.

terire. Iam quod est omnium maximum, si rogent vos adolescentes, quódnam ipsi sibi vitæ exemplum ad imitandum proponere debeant, quid respondeatis? Scire enim vos arbitror non in palæstris, non in ludis litterarum, nõ musica tantùm, sed multo maximè publicis præconijs iuuenes institui atque erudiri. De aliquo prædicatur in theatro his verbis: RVM VIRTVTIS AC FORTITVDINIS ERGO, BENEVOLENTIAE'QVE, QVAM ERGA POPVLVM ATHENIENSEM HABET, CORONA DONARI, hominem vitæ turpitudine, & omni flagitiorum genere contaminatum. Simulatque hæc vidit adolescens aliquis, corruptus, ac deprauatus est. Pœnas dedit aliquis improbus, in lenocinio, & dedecore versatus, vt Ctesiphon? ceteri doctiores, melioresque discedunt. Aliquis facto contra bonos mores, contráque leges, atque honestates omneis decreto, domum reuersus filiũ docere conatur. at huic surdo fabula narratur. Monere enim & præcipere, meritò hîc obtundere nominatur. Quapropter non solùm quasi iudicãtes, sed quasi in theatro quodam constituti, atque omnium oculis obseruati, speciménque ingenij vestri præbentes, ita sententiam ferte, vt habeatis quod ijs respondere possitis, qui huic iudicio non intersunt, si fortè vos quid iudicaueritis, interrogabunt. Nolite enim dubitare, Athenienses, quin talis de ciuitate nostra opinio, atque existimatio futura sit, qualem esse constat eum, de quo prædicatur. Atqui turpissimum sit, vos non cum maioribus vestris, sed cum Demosthenis ignauia, nequitiáque comparari. Quónam igitur modo huiusmodi dedecus ac turpitudinem effugere possitis? dicam. si eos, qui liberalibus, & humanitatis plenis nominibus præoccupatis atque vsurpatis, ingenio, & moribus infidi sunt, caueatis. Beneuolentia enim, & dominatio popularis in medio positæ sunt. verùm ad eas plerunque properè confugiunt verbo, qui plurimum ab ijs remoti sunt facto. Itaque cùm oratorem coronarum, & præconiorum externorum cupiditate affectum

nacti fueritis, iubete eum orationem, quemadmodum & præconiorum confirmationes lex fieri iubet, ad vitam probatam, omníque laude dignissimam, ad mores castos ac tẽperatos reuocare, atque exigere. Cui verò hæc testimonia desunt, ei suas laudes constabilire nolite: publicǽque libertatis, ac popularis dominationis curam habete: quæ vobis iam paullatim de manib⁹ elabitur. Quid enim? non indignum vobis esse videtur, Athenienses, senatum quidem, populúmque Atheniensem despici ac pro nihilo putari: litteras autem, & legationes non à contemtis, & fortè oblatis hominibus, sed ab ijs, qui in Asia atque Europa principatũ obtinent, missas ad ædeis priuatas peruenire? & quibus facinoribus extremum legibus supplicium constitutum est, ea facinora quosdam homines à se esse commissa non negare, sed palàm apud populum cõfiteri, epistolásque à longinquis regibus acceptas inter se recitare? alios vos cohortari, vt à se tanquam publicæ libertatis custodibus oculos nusquam demoueatis? alios præmia poscere tanquam ciuitatis conseruatores, ac salutis communis auctores? populum autem tristem, ac demissum, eorúmque incommodorum, quæ acciderunt, mærore tanquam senectute delirum, mente captum, ac dementiæ damnatum, nomen solum dominationis popularis vsurpare, ac retinere: rem quidem ipsam alijs concessisse? deinde ex contionibus discedere non consilio capto, sed veluti conuiuij, in quod singuli collectã contulerint, reliquijs inter se distributis? Ac ne vobis desipere videar, id, quod dico ex his considerate. Fuit hîc quidem (magno equidem cum dolore miserias ciuitatis sæpius commemoro) veruntamen fuit quidam homo priuatus, qui solùm Samum nauigare conatus, tãquam proditor patriæ eo ipso die à senatu Ariopagitico capitis damnatus, & supplicio vltimo affectus est. alteri item priuato Rhodum naui profecto, eo quòd metum publicũ molliter & imbecillè tulisset, nuper tandem nomen delatum est: ei autem pares numero tabellæ,

quæ

quæ damnarent,& quę absoluerent,contigerunt. Quòd si vna duntaxat salutaris defuisset, vel de ciuitate exterminatus, vel morte multatus esset. Cum illis igitur id, quod nunc fit,cōferamus. Orator omnium ciuitatis malorum causa, qui locum in acie non tenuit, qui ex vrbe profûgit, is se aurea corona donari,ac virum bonum,fortémque voce præconis pronuntiari debere contendit: vos non vel hominem, vt communem Græcorū pestem & calamitatem amandabitis: vel de eo iam comprehenso,tanquam rerum quidem prædone ac pirata, in nominibus autem & vocabulis administrandæ reip. nauigante,pœnas sumetis? Præterea facite vobis huius temporis veniat in mentem, quo tempore sentētias ferre debetis. Paucis pòst diebus Pythia futura sunt, Græcorúmque conuentus: ciuitas nostra magna hoc ipso tempore inuidia,infamiáque laborat, ex ijs rebus,quæ à Demosthene publicè administratæ sunt, conflata. Itaque si istum corona aurea donabitis, cum ijs,qui communem pacem perfringunt,ac violāt, consentire videbimini: sin aliter, populum Atheniensem his criminibus leuabitis, omníque inuidia liberabitis. Quapropter nō vt de aliena, sed vt de vestra ciuitate deliberate: neque liberalitatē & magnificentiam in alios conferte, sed de aliorum liberalitate iudicate: & præmia beneficiáque vestra in personis melioribus, virísque magis probatis collocate: neque solùm auribus exquirentes, sed etiam oculis obseruantes,atque alter alterum aspicientes,quínam vestrûm Demostheni auxilio futuri sint, considerate: vtrúmne qui cum eo vnà venabantur,an qui se cū eo,cùm adolescens esset, gymnico certamine exercebant. At mediusfidius non in aprorum venatione, non in ceteris corroborādi corporis studijs versatus est,sed eas arteis asiduè coluit, atq; exercuit,quib⁹ aduersus locupletium fortunas vteretur. Sed vos iactantiam hominis,arrogantiámque spectantes, cùm dicet se Byzantium sua legatione Philippo ademisse, Acarnanas ad defectionem perpulisse, Theba-

nos contionibus suis perterrefecisse (vos enim vsqueadeò stultos & credulos esse existimat, vt hæc credituri sitis, proinde quasi suadelā in vrbe vestra, non sycophantam alatis) cùm denique in extrema iam orationis parte prædarum suarum ac pecuniarum captarum socios sibi aduocabit, fingite vos intueri in hoc eodem pulpito, quo in loco ego nūc stās dico, ex altera parte instructos, atque istorum luxuriæ, libidinísque oppositos viros optimè de rep. meritos, Solonem, eum, qui pulcherrimis legibus publicæ libertatis, popularísque dominationis statum exornauit, virum & sapientiæ studio in primis deditum, & legum scriptorem præstantem, pudenter & modestè (vt eum decebat) vos orantem, atque obsecrātem, ne vllo modo Demosthenis verba pluris, quàm iurisiurādi vestri religionē, legésque faciatis: Aristidē, qui vectigalia vobis pensitanda æquabili proportione Græcis descripsit, cuius mortui filias populus in matrimonium collocauit, de iustitia contumeliosissimè vexata, indignissimé que protrita & conculcata, lamentabili voce deplorantem, & conquerentem: à vobis denique quærentem, ecquid vos pudeat, cùm maiores vestri Arthmiū Zelitā, quòd aurum à Medis acceptum in Græciam deportasset, in vrbe habitantem, cum quo populus Atheniensis hospitium publicè fecerat, pæne morte affecerint: eum quidem voce præconis prædicante ex vrbe, atque ex omni terrarum solo, quod populi Atheniensis imperio, ditionéque tenetur, eiecerint: Demosthenem, eum, qui non aurum Medorum huc deportauit, sed qui sese auro corrumpi passus est: atque id etiam nunc domi cónditum habet, ac possidet, aurea corona donare? Iam verò Themistoclem, eósque, qui in Marathonia pugna mortē oppetiuerunt, & Platæenseis, ipsa denique maiorum sepulcra, non putatis grauia suspiria, tristeísque gemitus editura, si is, qui sese Græcis vnà cum barbaris consociatum aduersatum esse cōfitetur, aurea corona donabitur? Ego igitur ò Terra, Sol, Virtus, Intelligētia, Doctrina, qua res

honestas

honestas ab inhonestis discernimus, vobis opem, auxiliúmque tuli, finémque dicendi feci. Atque equidem si bene, & pro magnitudine & grauitate criminis accusaui, dixi quo modo volui: sin deterius, quàm res postulabat, vt potui. Vos autem, Athenienses, cùm ex ijs, quæ à me dicta sunt, tum ex ijs, quæ silentio prætermitto, videte vt pro ciuitate iustam, ac reip. vtilem sententiam feratis.

ARGVMENTVM ORATIONIS DE CORONA, SEV PRO CTESIPHONTE, *Libanio auctore, eodem Dionys. Lambino Monstroliensi interprete.*



OENIA *quidem orator opposuit Atheniensium hostibus, visitatis istis, & manufactis firmiora, & meliora, Græcorum in ciuitatem Atheniensium beneuolentiam, & singularem dicendi facultatem pari prudentia coniunctam, vt ait ipse his verbis:* Non lapidibus, & lateribus Athenas sepsi ac muniui, sed magnis copijs, & multorũ Græciæ populorum societate, partim à terra, partim à mari. *Veruntamen etiam ad vrbis murum manufactum non parum studij atque operæ contulit orator. Collapso enim multis partibus vrbis muro Atheniensibus, posteaquàm visum est populo eum deintegro excitare ac reficere, electi sunt ad huius operis procurationem decemuiri ex vnaquaque tribu, qui huic operi faciundo præessent. Nam sumtus de publico fiebat. Cùm igitur Demosthenes ex his decemuiris vnus esset à sua tribu factus, non, vt alij, solam curam ac diligentiam adhibuit, sed & opus omnibus suis numeris absoluendum curauit, ita vt nullus reprehensioni locus esset relictus, pecuniam autem domo depromtam in eo negotio administrando ad eam rem contulit. Laudauit hanc eius beneuolentiam senatus, eiúsque in remp. studium & animum aurea corona remuneratus est. Erant enim promti ac parati Athenienses ad gratiam bene de rep. meritis referendam. Fuit*

autem Ctesiphon huius sententiæ auctor & princeps, Demosthenem esse corona donandum, quod ad tempus attinet, ludis Liberi patris: quod ad locum, in theatro: quod ad spectatores, Græcis omnibus inspectantibus, quos frequentissima Græciæ celebritas coëgerat: & his præsentibus ita à præcone prædicãdum, Demosthenem Demosthenis filium Præanieum ciuitas corona donat omnis virtutis ergò, singularísque in eum beneuolentiæ. *Erat igitur hic honos omni ex parte admirabilis. Quapropter inuidiæ impetum effugere non potuit, & Ctesiphontis scitum tanquam contra leges scriptum in iudicium vocatum est. AEschines enim Demosthenis inimicus, Ctesiphonti de decretis contra leges scriptis diem dixit, periculúmque creauit, cùm diceret, Demosthenem, qui magistratum gessisset, neque rationem retulisset, iudicio rationum referendarum etiamnum teneri: legem autem vetare, eos, qui rationum referendarum iudicio teneantur, corona donari. Præterea legem profert, quæ iubet, si quem populus Atheniensis corona donet, eius coronæ prædicationem in contione fieri: sin senatus, in curia: alibi autem non licere. Postremò ait Demosthenis laudes esse falsas. Non enim oratorem remp. bene administrasse, sed & nummarium esse populi moderatorem, & multorum malorum atque incommodorum ciuitati causam fuisse. Hoc autem ordine in accusatione sua AEschines vsus est. Primùm de lege, quæ ad eos pertinet, qui referendarum rationum iudicio tenentur, disputauit: secundo loco, de præconiis: postremo, de rebus gestis Demosthenis. Postulauit autem à iudicibus, vt cogant Demosthenem eundem ordinem seruare. At Demosthenes & à suis rebus gestis initium duxit, & in eas desiit, summa in eo arte vsus. Nam faciendum initium est à firmioribus, & potentioribus, in eadémque desinendum. Inculcauit autem ea, quæ posita sunt in legibus. Atque ei quidem legi, quæ de iis, qui referendarum rationum iudicio tenentur, lata est, sententiam & voluntatem opponit: ei, quæ ad præconia pertinet, aliam legem, seu potius legis partem, vt ait ipse, per quam licet etiam in theatro prædicationem coronæ facere, si populus iusserit, & senatus decreuerit.*

ALIVD

ALIVD ARGVMENTVM INcerto auctore, eod. Lambino interprete.



THENIENSES & Thebani bellum cum Philippo gerẽtes ad Chæronéam vrbem Bœotiæ victi sunt. Victoria igitur potitus Macedo, præsidium quidem Thebis imposuit: & ita eam vrbem in sua potestate habebat iugo seruitutis oppressam. Cùm igitur timerent Athenienses ne idem sibi accideret, Philippúmque cum infesto exercitu primo quoque tẽpore aduenturũ putarẽt, constituerunt muri partes vetustate corruptas & labefactatas excitare & reficere. Atque ita ab vnaquaque tribu curatores muris reficiendis nominatim declarati sunt. Pandionis autem tribus suum ad eum vsum curatorem è suo corpore Demosthenem sumsit. Cùm igitur in manibus esset huius operis procuratio, & præter eam pecuniam, quam Demosthenes à ciuitate acceperat, alia præterea desideraretur, neque illa satis esset, ipse de suo sumtum fecit, neque ciuitati expensum tulit, sed gratificatus, ac largitus est. Hac occasione Ctesiphon vnus ex iis, qui remp. administrabant, arrepta, scitum de eo fecit in senatu tale: Quoniam Dmosthenes Demosthenis F. cùm anteacta vita singularem & perpetuam in ciuitatem beneuolentiam declarasset, tum hoc tempore curator muris reficiendis à sua tribu lectus, cùm pecunia ei de publico data exhausta esset, aliáque præterea egeret, domo quãtum opus erat, deprompsit, & ciuitati largitus est: senatui, populóque Atheniensi placere, eum aurea corona donari in theatro, dum tragœdiæ nouæ recitarentur: fortasse quo tempore multitudo vndique conuenire solet, nouarum fabularum spectandarum cupiditate affecta. Cùm igitur hoc S. C. ad populum perferretur, vt eius auctoritate confirmaretur, exoritur Ctesiphontis accusator AEschines, inimicitias cum Demosthene gerens ex dissimilitudine studiorum & institutorum in rep. administranda susceptas, cùm diceret, hoc scitum esse contra treis leges factum: vnam eam, quæ vetat, iudicio rationum referendarum obligatum corona donari, priusquàm rationes retulerit. Nondum autem Demosthenem rationes retulisse, cùm pecuniam publicam & theatralem tractaret, & cu-

rator muris reficiendis præfectus esset. Expectandum igitur esse, præmiúmque ad id tempus sustentandum, donec legibus solutus, atque integer re cognita reperiatur. Secundam legem recitat, quæ iubet coronæ donationem ac prædicationem in Pnyce, hoc est, in concione fieri, non in theatro, reprehendens eos, qui prædicationem coronæ Demostheni decretæ, in theatro fieri æquo animo ferũt, & approbant. Tertia lex ad totam vitæ Demosthenis, & rerum publicè gestarum anquisitionem spectat. Vetat enim falsas litteras in ædem Bonæ deæ deferri, qua in æde omnes litteræ publicæ, conditæ seruabantur. Falsum autem complexus est plebiscito, inquit, quia Demostheni beneuolentiæ ac studij in remp. testimonium dedit. Nam maleuolus potius, & hostili in patriam animo reperitur. Hanc legem tertiam sibi vtilem arripiens & retinens tanquam ancoram orator, aduersarium perculit, ratione sollertissima, artificiíque plenissima in accusatorem vsus. Hinc enim ansam & facultatem nactus est aduersarij capiendi ac superandi. Alias enim duas leges, & eam, quæ pertinet ad obligatos iudicio rationum referendarum, & eam, quæ est de præconijs, in medium coniecit, imperatorium in morem, ignauos medios collocans: firmissima autem & validissima in extremis posuit, aliorum infirmitatem ac debilitatem vtroque extremo stabiliens & confirmans. Videtur autem etiam orationem ex vtilitate potissimùm tractare, neque admodum apertè artem ostentare. Nam cùm videatur principio legitimum præterire, alia quadam ratione etiam legitimo vsus est. Cùm enim AEschines legem recitasset de falsis tabulis, ad eam respondẽs orator, occasionem nactus est proferẽdarum in medium, atque explicandarum suarum publicarum actionum, rerúmque gestarum, tanquam legitimo pugnãs. Tractatio igitur orationis talis est. Firmamentum autem causæ, AEschini est legitimum, Demostheni iustum: vtriusque æquè cõmune, vtile: quod tamen non admodum apertè enucleatur. Status est negotialis in scripto positus. De scripto enim quæstio est. Cùm autem accusatio viuo etiam tum Philippo in iudicium deducta esset: Alexandro iam ad regni successionem vocato & oratio habita est, & iudicium commissum est. Nam simulatque interijt Philippus, & Thebani ex eius interitu suis viribus confisi, & fiduciæ pleni, præsidium, quod in vrbem Thebas imposuerat Philippus, eiecerunt:

runt: primùm Alexander iratus, tanquam ab ijs contemtus, Thebas funditus euertit: deinde cùm eum facti pœnituisset, è Græcia demigrauit pudore affectus, & Barbaris bellum intulit. Athenienses autem occasionem sibi idoneam oblatam esse putauerunt, causæ proditorum, qui Græciam iniustè læserant, grauissimísque iniurijs & incommodis affecerant, iudicio permittendæ. Atque ita iudicium commissum est. Primum igitur procemium precatione & voto constat per distributionem inductum, & beneuolentiam parat, qua hîc maximè Ctesiphonti & Demostheni opus est. Ex Homero autem sumtum atque imitatione quadam expressum est,

Diíque, deæq́ue omnes mea, quæso, attendite dicta.

Elucet etiam in eo significatio & declaratio fiduciæ in auditorum beneuolentia collocatæ. Non enim omne genus deorum appellaret atque imploraret, nisi hoc animo esset. Illud, quantam semper beneuolentiam erga ciuitatem habui, *&c. è Ctesiphontis decreto sumtum est. Declarat autem, se in omni vita anteacta beneuolentiam in populum Atheniensem præstitisse, eiúsque curam semper habuisse, prius denique animam, quàm talem in Athenienseis mentem ac voluntatem, profusurum, ac proiecturum.*

DEMOSTHENIS ORATIO DE CORONA, SEV PRO CTEsiphonte, Dionys. Lambino interprete.



PRIMVM à dijs, deabúsque omnibus immortalibus precor, Athenienses, vt, quãtam ego semper erga ciuitatem nostram, vósque vniuersos beneuolentiam habui, tantam vos in me in hoc iudicio conferatis: deinde vt, quę res vobis, vestræ'que religioni, & bonæ existimationi vehementer vtilis est, eius rei dijs ipsis ducibus mentem, voluntatémque suscipiatis, vt ne aduersarium consulatis, quónam modo me audire debeatis: (esset enim hoc sanè miserabile atque

ingemiſcendum) ſed leges, & iuſiurandum in conſilium adhibeatis: quo in iureiurando præter alia multa, quæ æquiſsimè deſcripta ſunt, hoc etiam ineſt iuſtiſsimum, vt æqualiter vtrunque audiatis: quod non hanc ſolùm vim habet, ne iudicia iam facta domo deferatis, atque vt parem vtrique beneuolentiam præſtetis, ſed vt ſuo vtrunque litigatorum arbitratu dicere, cóque, quo inſtituit ordine, eáque, qua vult defenſione vti ſinatis.

Cùm multis igitur rebus AEſchines in hoc iudicio meliore quàm ego condicione eſt, Athenienſes, tũ duabus vel maximis: primùm quòd non pari de re cum iſto decerto. multum enim intereſt vtrùm ego veſtræ beneuolentiæ fructu ſpolier, an iſte cauſam non obtineat: quin mihi quidem (ſed nolo initio dicendi quicquam triſtius dicere) iſti verò ſuperuacaneum eſt me accuſare. Deinde quòd omnibus hominibus natura attributum eſt, vt maledictis & vituperationibus libenter aureis patefaciant: eorum autem, qui ſe ipſi laudent, oratione grauiter offendantur. Horum igitur duorum id, quod afferre voluptatem ſolet, iſti datum eſt: quod omnibus (pæne dicam) graue & moleſtum accidit, id mihi relictum eſt. Ac ſi dum hæc vito & fugio, res à me geſtas non commemoro: neque ea, quæ mihi ab iſto illata crimina fuerunt, refellere ac diſſoluere, neque res eas, pro quibus præmia mihi deberi dico, poſſe oſtẽdere videbor: ſin me ad ea, quæ feci, quæ'que geſsi in rep. conferam, ſæpenumero cogar ipſe de me dicere. Quapropter vt id quàm modeſtiſsimè & moderatiſsimè faciã, dabitur à me opera diligenter. quicquid verò res ipſa, neceſsitáſque flagitauerit, huius iſte, qui mihi tale periculum creauit, meritò culpam ſuſtinebit. Arbitror autem, iudices, vos omneis confeſſuros, mihi cum Cteſiphonte hanc litem eſſe communem, atque eiuſmodi, vt me in ea non minus ſtudij atque operæ conſumere, quàm Cteſiphontem, oporteat. Nam cùm rebus omnibus priuari graue, & acerbum ſit, præſertim ab inimico, tum verò beneuolentia

atque

atq; humanitate veſtra ſpoliari tãto eſt miſerius, quanto eſt eam colligere & cõſequi maius atque optabilius. Cùm ſit igitur hiſce de rebus hoc iudicium conſtitutum, peto à vobis omnibus, vehementérque contendo, vt me pro me dicentem, criminibúſque aduerſarij reſpondentem, iuſtè & æqualiter, quo modo leges iubent, audiatis: quas is, qui ab initio tulit Solo, vir veſtri amantiſsimus, & maxime popularis, non perſcriptione ſolùm & litteris ratas ac ſanctas eſſe putauit oportere: ſed veſtro etiam omnium, qui res iudicaretis, iureiurando cõfirmauit, nequaquam vobis ille (mea quidem ſententia) diffidens, ſed cernens iam animo, quibus criminibus & maledictis accuſator quòd priore loco dicat, ſuperior eſt, ea crimina reum præuertere aut declinare non poſſe, niſi vnuſquiſque veſtrûm, qui rebus iudicandis præ eſtis, pietatem erga deos immortaleis colens ac retinẽs, tum eius, qui poſteriore loco dicat, defenſionem beneuolè accipiet, tum poſteaquam ſe parem, communémque vtrique præbuerit auditorẽ, quid ſibi de rebus omnibus ſtatuendum ſit, accuratè cogitabit. Verùm quando mihi hodierno die (vt video) & vitę priuatim actæ, & rerum publicè geſtarum reddenda ratio eſt, placet rurſus (vt initio dicendi feci) deos immortaleis appellare atque implorare. Precor igitur palàm, vobíſque inſpectantibus atque audientibus, iudices, primùm vt quantam ego erga remp. & erga vos omneis beneuolentiam ſemper habui, tãtam mihi in hoc iudicio tribuatis: deinde vt dent vobis eam mentem dij immortaleis, vt, quod & ad communem omnium exiſtimationem, & ad ſingulorum religionem conſeruandam magnopere pertinet, id in hac cauſa iudicetis. Atque accuſationem ſuam ſi ijſdem finibus AEſchines, quibus lis cõtinebatur, terminaſſet, ego quoque de ipſo ſenatus conſulto ſtatim reſpondiſſem: ſed quãdo in alijs rebus, quæ nihil ad cauſam pertinerent, exponendis, non minus multam orationem conſumſit: & ſimul de me plurima impudenter

ementitus est, necessarium esse existimo atque adeò iustum, pauca prius ijsdem de rebus dicere, vt nequis vestrûm verbis illis, quæ à causa remota sunt, adductus, alieniore, atque infestiore animo quàm iura causæ postulant, me pro Ctesiphonte dicentem audiat. Atque ad eas quidem contumelias, quibus me propriè & priuatim petulantissimè vexauit, quàm simplicem, quémque iustam orationem referam, videte. Si me eum cognouistis, quem iste esse me criminatus est: (nusquam enim alibi quàm vobíscum vixi) ne vocem quidem mittere me conantem patimini, quamuis res omnino præclaras, maximéque laudabileis publicè gesserim: quin surgite, méque iamiam condemnate: sin isto multo & meliorem, & à melioribus ortum, nullo denique eorum, qui mediocri sunt loco, (ne quid grauius dicam) deteriorem me, meósque & existimatis, & nouistis, nec alijs de rebus isti creditote: (Perspicuum est enim omnia ab eo similiter esse conficta) mihi verò quam beneuolentiam omni superiore tempore multis in iudicijs ostendistis, nunc quoque præstate. Sed cùm sis vsque eo callidus atque improbus AEschina, hoc tibi omnino stultè venit in mentem, putare me prætermissa illa de meis actionibus & rebus gestis oratione, maledictis tuis responsurum. Non faciam: non ita insanio: sed ijs de rebus primùm, quas tu vel in me falsò, vt à me gestas, contulisti, vel à me prudēter ac sapiēter cogitatas atque administratas reprehendisti & calumniatus es, considerabo. Post ad impudentem istam & furiosam maledicendi, ac debacchandi licentiam, (si modo hi non grauabuntur audire) me conferam. Crimina igitur mihi illata sunt multorum atque atrocium facinorum, quibúsque pœnæ sunt acerbissimæ legibus cōstitutę. Sed tota hęc accusatio nihil aliud habet propositi, quàm improbam inimici calumniam, petulantiam, conuicium, probrum, & contumeliam, ceteráque generis eiusdem. De ijs autem, quæ mihi crimini data sunt, etiam si vera essent, nostræ ciuitati pœnas me-

meritas ſumere.per AEſchinem non liceret: quod mediusfidius, Athenienſes, neque rectum, neque ciuile, neque iuſtum eſt, ne vlla quidem ex parte. Non enim ius adeundi ad populum, cauſæque dicendæ poteſtatem cuiquã eripere, nõ in ea re dolori ſuo ſeruire, neq; maledicendi & petulanter alterum inſectandi occaſionem ex ea quærere oportet. Sed quæ me facinora committere in remp. videbat, cùm præſertim eſſent tanta, quanta modò voce pæne tragica clamabat, eorum pœnas à legibus conſtitutas, recentibus etiam tum maleficijs, expetere, iudicióque perſequi debebat: ſi res delatione nominis dignas admittere viderer, nomen meum deferre: & hac via me in iudicium vocare: ſiquid cõtra leges ſcribere ac decernere, accuſationem mihi de decretis contra leges factis intentare. Non enim Cteſiphontem propter me iudicio perſequi poteſt: mihi, ſi me coargui poſſe confideret, periculum non creaſſet. Atqui ſiquid eorum, quæ falſò in me conferebat, & quæ commemorabat, aut aliquid aliud ſcelerate me aduerſus vos committere animaduertebat, ſunt leges de omnibus conſtitutæ, ſunt multæ, ſunt ſupplicia, ſunt accuſationes, ſunt iudicia, quæ magnas atque acerbas pœnas continent: his omnibus ei vti licebat. Atque hæc cùm feciſſe, ſeſéque hoc modo aduerſus me geſſiſse videretur, cum eius facto conſentiret accuſatio. Nunc autem poſteaquàm de iuſta, rectáque accuſandi via deflexit, méque re recenti coarguere vitauit, criminibus & cauillationibus, & maledictis tanto pòſt interuallo in vnum collectis & congeſtis, hiſtrionem ſe quendã nobis præbet. Deinde cùm me verbo accuſet, hunc re in iudicium vocat, atque huic toti accuſationi & cauſæ inimicitias mecum ſuſceptas prætexit: cúmque mihi nuſquam iudicium denuntiauerit, nuſquam mecum conflixerit, nunquam mecũ in certamen deſcenderit, alteri ſuam exiſtimationem & incolumitatem eripere conari reperitur. Atquî præter alia omnia, quæ quiuis dicere pro Cteſiphonte poſsit, hoc

etiam mihi quidem commodissimè atque aptissime dicere posse videatur, æquum esse, vt inimicitias nostras ipsi inter nos geramus, non prætermissis nostris inter nos contentionibus, alterum quæramus, cui calamitatẽ afferamus. hoc enim iniuriæ genus extra modum prodit. Omnium igitur criminum, quæ mihi oblata sunt, vnam, eandémque planè esse rationem, nihílque in ijs peræquè inesse neque veri, neque iusti, ex ijs, quæ diximus, quiuis intelligere possit. Verumtamen cùm vnumquodque singillatim suis ponderibus examinare volo, tum ea maximè, quæ mihi de pace, & legatione falsò attribuit: res ab ipso vnà cum Philocrate administratas ac transactas, impudenter in me conferens. Est autem fortasse necessariũ, & ad ea, quæ dicturus sum, vehementer pertinet, quo tunc temporis res essent loco, vobis in memoriam redigere, vt cum illo tempore, in quo ciuitas versabatur, singula comparantes, facilius ea perspicere possitis. Bello igitur Phocensi nato nulla mea culpa (nondum enim ad remp. accesseram) primùm sic vos animis affecti eratis, vt Phocenseis saluos esse velletis, quamuis eos res nefarias atque iniustas fecisse videretis: Thebanorum verò casu quãtumuis graui atque acerbo, siquid forte incommodi eis accideret, lætaturi essetis. neque verò immeritò illis succensebatis. Victoria enim Leuctrica eorum animos effecerat insolenteis, eámque felicitatẽ immoderatè tulerant atque intemperanter. Deinde vero vniuersa Peloponnesus dissidijs intestinis laborabat, nec qui Lacedæmonios oderant, tantum poterãt, vt eos euertere ac delere possent: neque qui antea illorum opera ac beneficio imperabant, ciuitates in sua potestate habebant: sed erat quædam tum apud hos, tum apud illos contentio ac perturbatio, quæ non facile diiudicari sedaríque posse videbatur. Hæc cùm videret Philippus (neque enim erant obscura) primùm grãdi pecunia singularum ciuitatũ proditoribus effusa, eas omneis offensionum ac simultatum seminibus sparsis inter

se

ſe concitabat, mutuíſque diſcordijs exaſperabat atque irritabat. Deinde, quibus in rebus alij grauiter peccabãt, maléque ſentiebãt, in iis ſe ipſe ad bellum comparabat, in omnium perniciem, opes ac potentiam acquirebat, in omnium denique fortunas imminebat. Poſteaquàm verò perſpicuum omnibus eſſe cœpit, neceſſe futurum, Thebanos diuturno iam bello defeſſos ac fractos, tum feroceis quidem illos & odioſè inſolenteis, nunc graui fortunæ caſu perculſos atque afflictos, ad vos confugere: id vt ne fieret, neque ciuitates conſentirent & conſpirarent, Philippus vobis pacem, illis auxilium pollicitus eſt. Quæ res igitur ei fuit maximo adiumẽto, vt vos, pæne dicam, veſtra voluntate inductos, ac deceptos opprimeret? Reliquorum Græcorum ſiue improbitas, ſiue ignorantia, ſiue vtrunque: qui, cùm aſsiduum ac diuturnum bellum gereretis, idque pro communi Græcorum omnium vtilitate, quemadmodum res ipſa declarauit, neque pecunia, neque viris, neque re vlla omnino alia vos iuuerunt. Quapropter vos eis meritò, iuſtíſque de cauſis iraſcentes, pacem petenti Philippo non inuiti auſcultauiſtis. Ea igitur pax, quæ tum illi cõceſſa fuit, propter has, quas dixi cauſas, non quo modo iſte inſimulauit, mea opera conciliata & conſtituta eſt. Iſtorum verò peccata atque iniurias, ſimúlque turpiſsimos quæſtus in ea pace inſtitutos, pecuniáſque nefariè captas, ſiquis rectè veréque perpendat, horum malorum, in quibus nũc verſamur, cauſas eſſe reperiet. Atque ego hæc omnia ſtudio veritatis adductus, accuratius perſequor, ac ſubtilius diſputo. Nam ſiqua in his rebus peccata maximè ineſſe videantur, omni tamen culpa vaco, nihilque illa ad me omnino pertinẽt. Quin is, qui prim⁹ de pace ſententiam dixit, qui pacis mentionem fecit, Ariſtodamus hiſtrio fuit: qui ſecundas parteis egit, qui populi ſcitum fecit, denique qui ſe ipſe cum iſto ad hæc conficienda Philippo mercede accepta locauit, Philocrates Agnuſius fuit, tuus, AEſchina, ſodalis, omniúmque tuorum

consiliorum particeps ac socius, non meus, mentiendo disrumpare licet. Eius autem sententiæ approbatores & suasores fuerunt (causam in præsentia omitto dicere) Eubulus, & Cephisophon. Ego verò nusquã quicquam. Et tamen cùm hæc ita se habeant, pænéque ipsius veritatis voce ita esse demonstrentur, vsque eò fuit impudens, vt ausus sit hoc in loco dicere, me non modò pacis auctorem fuisse, sed etiam ne ea ipsa pax in communi Græcorum concilio à nostra ciuitate fieret, prohibuisse. Et ô, quo te quis nomine rectè appellet, nescio: túne vsquam, cùm me tantam rem, tantámque societatem, quãtam nunc commemorabas, vocéque pæne tragica contendebas, ciuitati detrahere videres, túne mihi vnquam præstò fuisti? túne grauiter atque indignè tulisti? aut, vt hæc, quæ nunc arguis, doceres, ac proferres, in hunc locum processisti? Atqui si decretum illud, quo réliqui Græci pacis communione excluderentur, Philippo vendideram, reliquum erat tibi non vt taceres, sed vt clama res, testificarere, rem his aperires ac demonstrares. At tu nusquam hoc fecisti, nusquam hæc tua vox audita est. Neque verò ad quęquam omnino Græcorum tum missa erat legatio: sed erant omnium voluntates iandudum patefactæ, certisque argumentis perspectæ: neque iste quicquam his de rebus verè, sinceréque locut⁹ est. Præterea huius ciuitatis splendorem & gloriam insignibus infamiæ notis inquinat. Nam si vos vno tempore & reliquos Græcos ad bellum vocabatis, & ad Philippum legatos de pace mittebatis, rem neque ciuitati vestræ, neque viris bonis consentaneam ac decoram, sed planè Eurybata dignam faciebatis. Verùm non ita est, Athenienses, non ita est, inquam. Quorsum enim eos tali tempore vocaretis? Ad pacem? At habebant omnes. Ad bellum? At ipsi de pace deliberabatis. Perspicuum igitur est, me pacis eius, quæ ab initio constituta est, neque ducem, neque auctorem aut suasorem fuisse, neque quicquam eorum omnium, quæ in me falsò contulit AEschines,

verum

verum esse. Iam igitur postquam nostra ciuitas pacem cum Philippo fecit, quid vterq; nostrûm agere instituerit, quodque in rep. gerenda consilium ceperit, rursus ipsi cum animis vestris considerate. Ex his enim cognoscetis quis ille sit, qui omnibus in rebus operam Philippo nauabat, qui Philippi causa laborabat: quis altera ex parte, qui omneis suas actiones ad vestrã vtilitatem referebat, qui summo studio reip. commodis inseruiebat. Ego igitur cùm senator essem, decreui vt quàm primùm legati eò nauigarent, vbi Philippum esse audirẽt, vt fidem ac iusiurandum ab eo acciperent. Isti autem ne hoc quidem à me decreto hæc facere voluerunt. Quam vim porro, Athenienses, hæc res haberet, ego vobis ostendam. Intererat Philippi, inter nostrum & ipsius iusiurandum, longissimum tempus intercedere: vestra, breuissimum. Quid ita? quia non ab eo tantùm die, quo iurauistis, sed à quo pacem vos habituros sperauistis, omnem belli curam atque apparatum remisistis. ille autem ex omni tempore hoc maximè moliebatur & agebat, in eóque totus erat occupatus, existimans (id quod erat) quascunque res ciuitati nostræ præripuisset antèquàm iuraret, stabileis & fixas sibi haud dubiè mansuras, neminémque earum rerum causa pacem diremturũ. Quæ cùm ego, Athenienses, animo prouiderem, mecúmque reputarem, hoc decretum feci, vt in ea loca, quibus in locis esset Philippus, legati nauigarent, & iusiurandum fidémque ab eo confestim acciperent, vt Thracibus socijs vestris ea oppida, quæ nunc iste insectabatur atque irridebat, Serrium, Myrtion, Ergiscam etiam tunc tenẽtibus, pacis fœdera ferirentur: neque ille locis opportunis occupatis, Thracia potiretur: neque ex his, cùm pecunia abundaret, magnúmque militum numerum coactum haberet, magnam ad reliquas res aggrediendi facultatem haberet. Et tamen hoc decretum non commemorat, neque recitat AEschines: sed quòd, cùm senator essem, Philippi legatos introducẽdos putauerim, id mi-

hi loco criminis ponit, meúmque factum malitiose calumniatur & reprehēdit. At quid me facere oportebat? an, ne illis aditus esset in contionem, decernere, qui idcirco venerant, vt vobiscum loquerētur? an ne locus eis ab architecto spectandi gratia daretur, vetare? At duobus obolis, nisi hoc decretū fuisset, spectare potuissent. An me parua ciuitatis commoda seruare ac tueri, summam rem, quod isti fecerunt, Philippo vendere oportebat? minimè verò. Sume igitur hoc decretum & recita, quod iste prudens & sciens præteriuit. DECRETVM.

Mnesiphilo prætore pridie Kal. Quintileis, tribu Pandionide summam rerum potestatem obtinente, Demosthenes Demosthenis filius Pæanieus hanc sententiam dixit: Quòd Philippus, qui legatos de pace misit, cum Atheniensibus rata fœdera percussit, senatui, populóque Atheniensi placere, quo pax suffragijs populi prima contione comprobata confirmetur ac trāsigatur: legatos ex omni Atheniensium numero quinque legi: qui vbi populi suffragijs fuerint approbati, sine vlla dilatione temporis, quoquo loco Philippum esse cognouerint, eò proficiscantur, & iusiurandū ab eo primo quoque tempore accipiāt, vicissímque dent super fœderibus, quæ inter illum & populum Atheniensem conuenerunt: eóque fœdere ac iureiurando vtrorumque socios complectantur. Electi sunt legati Eubulus Anaphlystius, Aeschines Cothocides, Ctesiphon Rhamnusius, Democrates Phlyeus, Cleon Cothocides. Hæc ego temporib⁹ illis cùm scripsissem, cúmque id vnum spectarem, non vt Philippo, sed vt ciuitati nostræ commodarem ac prodessem, boni isti & pręclari legati, abiecta omni pæne reip. cura, treis menseis continuos in Macedonia consederunt, vsque eò dum veniret è Thracia Philippus, omnibus illius regni oppidis in suam potestatem redactis, cùm decem diebus, immò tribus, aut quattuor quidem certè, in Hellespontum peruenire, & oppida iureiurando accepto priusquàm ea ab illo expugnarentur atque euerterētur, seruare liceret. Vobis enim præsentibus nunquam ea attigisset, aut iusiurandum profectò ab eo non accepissemus: ita pace decidisset, neque vtraque, & pacem, & Thra-

Thraciæ oppida teneret. Primus igitur Philippi dolus, hominúmq; istorum iniustorũ, ac dijs ipsis immortalibus iniquorũ quæstus improbissim⁹, & mercatus turpissim⁹ legatione talis fuit, propter quẽ & illo tempore, & nunc, & semper posthac me cum ijs bellum, atque inimicitias implacabileis gesturum profiteor. Iam mihi alterũ deinceps longè illo grauius flagitium attendite. Posteaquàm promisit Philippus se nobiscum pacem obseruaturum, Thracia iam istorum culpa (vt dixi) qui decreto meo nõ paruissent, occupata: hoc rursum ab istis redimit, ne ex Macedonia decederent, quoad eum exercitum, quem contra Phocenseis comparabat, instructum atque ornatum haberet: veritus ne si vobis renuntiassent, eum breui tempore exercitum in expeditionem educturum, exiretis ipsi, & cum triremibus ad Thermopylas, quemadmodum antea, nauigaretis, locíque illius angustias clauderetis: sed vno tempore & renuntiantibus istis hæc audiretis, & ille iam intra Thermopylas ingressus esset, neque huic rei mederi possetis. Tanto autem Philippus in metu versabatur, adeóque anxius & sollicitus erat, ne vos etiamsi loca illa præoccupasset, ea de re antequàm Phocenses perijssent, certiores facti, mittendum ijs auxilium decerneretis, atque ita res sibi de manibus elaberentur, vt impurissimum istum iterum non iam communiter cum ceteris legatis, sed ipsum separatim conduceret, quo ea vobis diceret ac renuntiaret, per quæ omnia funditus perierunt. A vobis autem, Athenienses, etiam atque etiam peto, vehementérque contendo, vt in hoc toto iudicio memineritis, si AEschines Ctesiphontem solum accusasset, nihilque extra causam dixisset, me quoque hoc tempore nihil aliud acturum fuisse, nisi vt eum, qui accusatus esset, defenderem: sed cùm iste tota sua oratione intemperanter in me fuerit inuectus, méque falsis criminibus, probris, ac maledictis vexarit, ac lacerarit: mihi de memetipso tã multa dicendi, atque ad ea, quæ mihi obiecit, pauca respondendi necessitatem

ab eo impositam esse. Quæ sunt igitur verba illa, tum ab isto vsurpata, quæ summam rem perdiderunt? *Quòd Philippus,* inquit, *Thermopylas introiuit, tumultuari neminẽ vestrum oportet. Omnia enim vobis ex animi sententia procedent, si quiescatis. Et biduo, aut summùm triduo illum ijs, quibus inimicus vénit, amicum: contrà ijs, quibus amicus, inimicum esse factum audietis. Non enim verbis,* inquit, *sed vtilitatum similitudine & communitate amicitias conglutinari & confirmari solere,* grauiter & magnificè pronuntians. *Expedit autem Philippo, Phocensibus, & vobis peræquè, Thebanorum immani stupore, intolerabilique arrogantia defungi.* Quæ quidem iucunda nonnullorum auribus accidebant propter odium illud in Thebanos illo tempore penitus in omniũ animis insitum atque infixum. Sed quid est postea consecutum? vt non longo pòst tempore infelices ac miseri Phocenses interirent, vrbes eorum funditus delerentur: vos dum quiescitis, istíque obtemperatis, paullo pòst vasa, & omnem supellectilem ex agris in vrbem comportaretis, iste aurum acciperet: denique præter illa omnia, illud in Thebanos ac Thessalos acerbissimum odium in ciuitatem vestrã redundaret: rerum gestarum gratia, Philippo quæreretur. Atque hæc ita esse, cognoscite & ex Callisthenis decreto, & ex epistola Philippi. ex vtriusque enim lectione vobis hæc omnia plana fiant. Recita decretũ. DECRETVM.

Prætore Mnesiphilo, contione subitò atque ex tempore ab imperatoribus aduocata, de moderatorum ciuitatis ac senatus sententia, vndecimo Kalendas Octobreis, Callisthenes Eteonici filius Phalereus hanc sententiam dixit, placere, Ne quis Atheniensium, quãcunque excusationem afferat, in agro pernoctet: sed in vrbe, & Piræeo, præter eos, qui sunt in præsidijs collocati, ac distributi: quem autem quisque horum locum atque ordinem nactus est, eum ad extremum seruato, ita vt neque diem, neque noctẽ extra præsidium suum traducat. Qui huic decreto non paruerit, eum contra remp. fecisse iudicatum iri, & proditionis pœnas daturum, nisi se vi aliqua maiore, ac necessitate, cui obsisti non potuit, impeditum esse docuerit. De ijs autem, quæ vim ac necessitatem attulisse dicentur, & imperator,

qui exercitui, rei que militari praest, & is, cui ciuitatis procuratio commissa & commendata est, & scriba senatus cognoscunto. Ex agris autem primo quoque tempore omnia, quæ sunt intra quindecim millia passuum, in Vrbem, & Piræeum deportantor: quæ his finibus non continebuntur, in Eleusinem, Phylam, Aphydnam, Rhamnuntem, Sunium conuehuntor. Dixit Callisthenes Phalereus. Nunquid vos hac spe ducti pacem faciebatis? aut hunc vobis exitum mercenarius iste pollicitus est? Recita nunc epistolam Philippi, subactis Phocensibus missam. EPISTOLA PHILIPPI. *Rex Macedonum Philippus, senatui, populóque Atheniensi S.D. Scitis, nos Thermopylas ingressos esse, Phocidem sub imperium, ditionémque nostram subiunxisse: & in eas quidem Vrbes, quæ sese nobis adiunxerunt ac dediderunt, præsidia imposuisse: quæ verò cedere noluerunt, eas vi & virtute captas, atque in seruitutem redactas, deleuisse. Cùm igitur audirem vos exercitum comparare, quem Phocensibus auxilio mitteretis, visum est mihi ad vos scribere, ne diutius laboretis, néue trepidetis. Nam omnino cùm arma capitis, nihil mihi moderatè facere videmini, qui cùm pacem mecum feceritis, exercitum tamen contra me ducere paretis, idque Phocensibus nobiscum fœderum communione non coniunctis. Quare si pacis cōditionibus stare nolueritis, nulla re alia nobis eritis superiores, nihílque aliud assequemini, nisi quòd priores iniuriam feceritis.* Auditis quàm apertè ostendat ac declaret socijs suis in hac, quam ad nos misit, epistola, & pæne ita loquatur Philippus, *Ego hæc inuitis, & iniquo animo ferentibus Atheniensibus feci. Quapropter si vos Thebani, & Thessali sapitis, hos quidem in hostium numero ducetis, mihi autem fidem habebitis.* quibus verbis litteratè quidem non est vsus, verumtamen hæc significare atque ostendere voluit. Itaque illos his captos eo pellexit ac perpulit, vt nihil futuri prouiderent, nihil præsentirent, sed cum res omneis in potestatem suam redigere paterentur: vnde infelices Thebani in has calamitates inciderunt. Atque huius fidei apud illos comparandæ administer Philippo atque adiutor iste est AEschines, is, qui falsa vobis renuntiauit, qui vos in fraudem atque in errorem induxit: is, qui

modò Thebanorum caſus & calamitates miſerabiliter deplorabat: quàm graues, quàm luctuoſi eſſent, multis verbis perſequebatur atque exponebat: in cuius perſona, & horum, & eorum, quæ Phocenſibus acciderunt, & illorum omnium malorum, quæ Græci pertulerunt, cauſa conſiſtit. Scilicet enim, AEſchina, tu ijs, quæ Thebanis acciderunt, grauiter angeris, & Thebanorum miſericordia commoueris, qui tot bona in Bœotia poſsideas, tot illorum agros colas: ego verò lætor, is, qui ſtatim ab eo, qui hæc effecerat, ad ſupplicium depoſcebar. Sed in eam orationem incidi, qua me poſterius vti fortaſſe magis conueniet. Ad illa igitur reuertor, quibus oſtendere cœperam, iſtorum quæſtus nefarios, & nundinationes flagitioſas, & iniuſtè facta, & ſcelera, horum malorũ eſſe cauſas. Nam poſteaquàm à Philippo & vos decepti eſtis iſtorum culpa, qui ſuas operas in legationibus obeundis ei locauerant, quíque nihil verè vobis renuntiauerant, & miſeri Phocenſes, eorúmque vrbes deletæ ſunt, quid accidit? Contemtiſsimi omnium hominũ Theſſali, inſolẽtiſsimi atque omnis ſenſus expertes Thebani, amicum, optimè de ſe meritum, ſeruatorem ſuum denique Philippum ducebãt. Erat his ille omnia. Quòd ſiquis aliud quippiam dicere conaretur, ne vocem quidẽ eum mittere ſinebant. Vos autem, qui omnia, quæ à Philippo geſta erãt, ſuſpecta habebatis, atque adeò iniquiſſimo animo ferebatis: pacem tamen vobis ſtudioſè retinẽdam putabatis. nihil enim ſoli efficere poteratis. Græci item reliqui conſimili vobiſcum ratione in fraudem atque in errorem impulſi, & ſua ſpe deturbati, libentiſſimè otio, pacéque fruebantur, tametſi eſſent ipſi quodammodo iandudum bello laceſsiti. Nam cùm quoquouerſus graſſans, & circumiẽs Philippus, Illyrios, Triballos, nonnullos etiam Græciæ populos in ſeruitutem redigebat, cùm multos ac magnos exercitus ſuo imperio ſubijciebat, ac ſubigebat: cùm quidam homines è Græciæ vrbibus profecti, pacis auctoritate & licẽtia freti, eò

ſe

se conferebant, ibique à Philippo corrumpebantur, in quibus iste numerabatur, cùm hæc, inquam, fiebant, tum ij omnes, in quos hæc comparabantur, bello lacessebãtur. quòd si non sentiebant, alia ista oratio est, nihilque ad me pertinet. Ego enim prædicebã, & testificabar tum apud vos, tum ad quoscunque missus essem. Ciuitates autem graui & periculoso morbo erãt affectæ, dum partim magistratus, ijque, qui rebus gerendis præerant, pecuniarum turpiter capiendarum studio ducerentur, seséque pretio corrumpi paterentur: partim plebs & multitudo neque futura prouideret, & vitæ tranquillitate, & quotidiano otio inescaretur: denique sic omnes animis essent affecti, vt quanuis hæc in Græcia mala versarentur, singuli tamen se incommodorum experteis fore, ac periculis alienis res suas, quandocunque vellent, in tuto futuras, arbitrarentur. Itaque multitudini, opinor, hoc vsu venit, vt pro infinita illa, & intempestiua desidia atque ignauia, libertatem amitteret: magistratibus verò ac principibus, qui se cetera, præter seipsos, vendere putabant, vt ipsi sese primos omnium venditos esse sentirẽt. Nam qui amici atque hospites tum cùm donis ac muneribus corrumpebantur, nominari solebant, nunc assentatores, & dijs immortalibus iniqui atque iniusti, & alijs id genus nominibus, quibus digni sunt, appellantur. Nemo enim, Athenienses, eo animo pecuniam consumit, vt proditorum commodis consulat: neque quisquam posteaquàm ea, quæ redemit, obtinuerit, atque in potestate sua habuerit, proditorem reliquis de rebus in consilium adhibet. (nihil enim proditore beatius esset:) quam ob causam tanti fieret proditor? longe aliter est. Sed simulatque is, qui principatum & dominationem cõcupiscit, fuerit rerum potitus, etiam eorum, qui vendiderũt, dominus efficitur. Itaque illorum improbitate perspecta & cognita, tum eos profectò, tum odio habet, tum ijs diffidit, tum eos vexat & conculcat, nullúmque in eos contumeliæ genus prætermittit. Quod vt ita esse per-

ſpicere poſsjtis,attēdite, quæſo,quæ dicturus ſum,& vobiſcum ipſi cōſiderate. Nam tametſi rerum occaſionem amiſeritis, cognoſcendi tamen opportunitas ſapientibus ac prudentibus eadem manet. Tātiſperdum prodebat Olynthum Laſthenes,amic⁹ Philippi nominabatur: Timolaus quoad Thebas perdidit, vſque eò Philippo carus habitus eſt: vſque eo Eudicus, & Simus Lariſſæi, quoad Theſſaliam Philippo emāciparunt ac tradiderūt. Deinde cùm eijcerentur,cōtumelijs omnibus afficerentur, quoduis turpitudinis, atq; indignitatis genus ſubirent,orbis terrarū proditoribus completus eſt. Quid? Ariſtratus Sicyone: quid? Perilaus Megaris non contemti atq; abiecti? Ex quib⁹ intelligere quiuis facillimè poſsit, qui patriā ſuā tuetur ac defendit maximè,quíq; plurimis in rebus,iſtis dicendo reſiſtit,eū vobis, AEſchina proditoribus,& nummarijs,mercenariíſque ciuitatū guberna toribus,vnde pretiū accipiatis,& quæſtum faciatis,ſuppeditare maximè, vóſque beneficio populi , & eorum, qui contra voluntates veſtras dicunt,ſaluos eſſe,mercedémq; accipere. Nā me Dius Fidius, quantū in vobis fuit, iandudū perijſſetis. Ac de ijs quidem, quę tum geſta ſunt, tametſi multo plura habeam dicere, hęc tamē nimis mul ta dicta eſſe puto. Cuius rei iſte culpam ſuſtinet , qui in me ſuorum flagitiorū ac ſcelerū veluti crapulam heſternam euomuit: quam quidem mihi neceſſarium fuit apud eos, quorum memoria res illæ ſunt antiquiores , diluere. Fortaſſe verò etiā vobis hęc oratio grauis ac moleſta fuit, qui etiā antequàm verbū facerē, atq; adeo hiſcerē, omneis iſtius actiones mercenarias,operáſque venaleis noueratis. Quas tamē ſpecioſis atque honeſtis amicitię, hoſpitiíque nominibus appellabat. hæc enim verba quodam loco orationis ſuæ poſuit: *Qui mihi Alexandri hoſpitiū maledicti loco obiecit, atq; exprobrauit.* Ego tibi Alexādri hoſpitiū? vnde cōſecuto, aut quînam merito? Nec Philippi hoſpitem te, nec Alexandri amicum ego vnquā appellarim. non ita inſanio: niſi fortè meſſores,& ceteros , qui ſuas

ſuas operas mercede locare cõſueuerunt, eorũ, à quibus conducti ſunt, amicos, atq; hoſpites appellare debemus. Non ita eſt. At ego te cùm antea Philippi, tũ hoc tempore Alexandri mercenarium dico, item hi omnes, quos ad hoc iudiciũ conueniſſe vides. Quòd ſi non credis, eos interrogato, ſodes. Quin egomet pro te hoc faciã. Vtrùm vobis, Athenieſes, videtur AEſchines Alexãdri mercenarius eſſe, an hoſpes? Audis quid dicãt? Nunc igitur tãdem iſti de accuſatione reſpondere, & pro Cteſiphonte dicere: ſimúlq; res meas geſtas exponere volo, vt, tametſi præclarè intelligat AEſchines, audiat tamẽ quas ob cauſas ego non ijs ſolùm, quæ à ſenatu decreta ſunt, verùm etiã longè maioribus præmijs dignũ me eſſe contendam. Sume igitur accuſationis ipſius libellum & recita. ACCVSATIONIS LIBELLVS. *Charonda prætore VIII. idus Februarias, AEſchines Atrometi filius Cothocides iudicium de decretis contra leges factis in Cteſiphontem Leoſthenis filiũ ad prætorẽ detulit, quia ſcitum contra leges fecit: quo cenſuit Demoſthenem Demoſthenis filiũ Pæanieum aurea corona donandum à populo virtutis & beneuolentiæ, quã perpetuò habuit in Græcos vniuerſos, tum in populũ Athenienſem, & fortitudinis ergò, & quòd res dicit agítque populo vtiliſsimas, omníque ſtudio, cura, opera, labore reip. prodeſſe conatur. Quæ omnia falſa ſunt, & cõtra leges ſcripta, cùm leges vetent, primùm falſa decreta in tabulas publicas referri: deinde eũ, qui iudicio referendarum rationum teneatur, priuſquàm rationes retulerit, corona donari. (Eſt autem Demoſthenes curator muris reficiendis, & theatrali pecuniæ præfectus.) poſtremò eam donationem ac prædicationem Dionyſijs, tragœdis nouis fieri: ſed ſiquem ſenatus corona donet, iubeant in curia: ſin ciuitas, in Pnyce populo cõuocato, de eo, qui coronatur, prædicari. Multa, talenta quinquaginta. Viatores, Cephiſophõ Cephiſophõtis filius Rhamnuſius, Cleon Cleonis filius Cothocida.* Hæc ſunt, Athenieſes, quæ ex toto decreto in iudicium vocat AEſchines. Ego verò primùm his ipſis planũ me facturũ confido, iuſtiſsimã eam eſſe defenſionẽ, qua vſurꝰ ſum. Seruato enim eodẽ ordine, quẽ iſte in ſcribẽdo & cõponẽdo accuſationis libello ſecutꝰ eſt,

ſingillatim de omnibus dicam, nihílque ſciens præteribo. Quòd igitur ſcripſit Cteſiphon, me perpetuò eas res & dicere, & agere, quæ populo ſunt vtiliſsimæ, omníque opera ac ſtudio, quantum in me ſitum ſit, ei conſulere atque prodeſſe: quodq́ue his nominibus me laudauit, eius rei iudicium in meis reb⁹ geſtis poſitum eſſe puto. Ex his enim, cùm erunt diligenter conſiderata, & perpenſa, veráne ſint ea, quæ de me ſcripſit Cteſiphon, an falſa, perſpicuum erit. Quòd autem cenſuit me corona donandum, his verbis non adſcriptis, *Poſteaquàm rationes retulerit*, coronæq́ue donationem & prædicationem in theatro faciendam: cùm hoc ad ea quoque, quæ in rep. geſsi, pertinere puto, videre vtrùm ſim corona dignus, nécne: & vtrùm prædicatio fieri in theatro debeat, nécne: tum præterea leges mihi proferendas eſſe exiſtimo, per quas hæc Cteſiphonti ſcribere licuerit. Atque equidem hanc in defendendo Cteſiphonte orationis æquitatem ac ſimplicitatem adhibere conſtitui. Aggrediar autem primùm ad ea, quæ geſsi: néque eſt quòd quiſquã putet, me longè ab accuſatione rationem defenſionis auocare atque abducere, ſi in hunc de Græcanicis meis actionibus ſermonem incidero. Nam qui eam decreti partem reprehendit, atque in iudicium vocat, in qua ego res populo Athenienſi vtiliſsimas & dicere & agere dicor, quíque hæc tanquam minime vera iudicio perſequitur, hic eſt, qui hanc de meis in rep. inſtitutis, rebúſque geſtis orationem cum hac cauſa ita coniunxit, vt non ſolùm propria, ſed etiam prorſus neceſſaria videatur. Deinde cùm multa ſint adminiſtrandæ reip. conſilia, multæq́ue voluntates & ſectæ, eam potiſsimum ſectam, quæ ad Græcanicas actiones pertinebat, ſecutus ſum. Quapropter non immeritò ex his totius meæ vitæ ſuperioris ducenda ſunt argumenta. Ea igitur, quæ Philippus antequàm remp. attigiſſem, atque ad populum verba facere, & contionari cœpiſſem, anteuerterat, atque occuparat, præteribo. (nam nihil horum ad me arbitror pertinere.)

pertinere.) Quæ verò, posteaquàm ad remp. administrādam me contuli, prohibitus est à me facere Philippus, eorum vobis memoriam refricabo, neque de his rationem reddere recusabo, si hoc vnum prius vobis exposuero. Philippus tunc, Athenienses, vna re nobis longè superior erat, quòd non apud nos, aut illos tantùm, sed apud omneis peræquè Græcos tanta proditorum, & nummariorum magistratuum, & impiorum hominum vbertas atque annona versabatur, quanta post hominū memoriam non fuit: quos ille suorum consiliorum administros & adiutores nactus, Græcos antea grauibus, & acerbis odijs inter se dissidenteis, maioribus etiā discordijs ac seditionibus concitauit, cùm alios falleret, alijs effusè largiretur, alios quauis ratione corrumperet: postremò multas in parteis eos discerpsit ac distraxit, cùm hæc vna res omnibus pariter conduceret, ne ille cresceret, prohibere. Cùm esset igitur hic omnium Græcorum status, cúmque in summa mali nascētis, & in dies latius manantis ignoratione versarentur, vobiscum ipsi considerate, Athenienses, quid sequi, quid agere, quid efficere decuerit ciuitatem: horúmque à me rationem reposcite. Ego enim is sum, qui me in hoc reip. gubernandæ munere ac loco, & in hac quasi custodia & vigilia collocaui. Vtrùm igitur eam conueniebat, AEschina, suos illos spiritus deponentem, suǽque amplitudinis ac dignitatis oblîtam, in eodem atque Thessalos & Dolopes ordine ac numero, Philippo Græcorum dominatum appetenti studere ac fauere, maiorúmque suorum ornamēta & iura euertere? an hoc quidem non facere (graue enim hoc mehercule fuisset, graue) sed quæ futura, nisi quis prohiberet, videbat, & iampridem (vt verisimile est) præsentiebat, ea negligere, nihílque, ne acciderent, laborare? Atqui libenter ex eo, qui res meas gestas tantopere reprehendit, quæsierim: quarum partium ciuitatem nostram fuisse velit: vtrùm earum, quæ malorum ac dedecorum, quæ Græci subierunt, adiutrices Philippo

fuerunt: in quibus Thessalos, eorúmque socios possis dicere fuisse versatos:an earum,quę spe amplificãdarum opum suarum priuatarum, hæc fieri passæ sunt ac neglexerunt:in quibus Arcadas,& Messenios,& Argiuos numerare possumus. At multi horum, immò verò omnes maiore detrimento accepto,quàm nos, ex hoc negotio discesserũt.Nam si Philippus statim vt vicit,sese in Macedoniam recepisset,& postea quieuisset,nemine neque ex socijs suis,neque ex ceteris Græcis læso, aut offenso, eos tamen,qui conatibus eius non restitissent, aliqua ex parte reprehendere & accusare possemus. Sed si peræquè omnibus dignitatem, principatum,libertatem, immò verò reip.statum quibuscunque potuit,ademit,nónne vos,qui mihi credidistis ac paruistis, gloriosissimo & præclarissimo consilio vsi estis?sed illuc reuertor. Quid ciuitatem nostrã, AEschina,tũ facere cõueniebat, cùm Philippum videret imperium sibi in Græcos,ac regnum comparare?aut quid me suasorem & consiliarium dicere,quid scribere oportebat: præsertim Athenis? (Nam hoc plurimum refert) qui sciebam, patriam meam à primis temporibus vsque ad illum diem,quo die in contionem ascẽdi,semper de principatu,ac principe loco,semper de honore,ac de gloria decertasse?pluresque viros, & maiorem pecuniæ vim pro studio laudis & honoris, omniúmque Græcorum commodis consumsisse, quàm ceteri Græciæ populi pro sese impenderunt?Philippum autem, cum quo vobis omne certamen institutum erat, videbã pro imperio ac dominatione oculo sibi effosso, iugulo confracto, manu debilitata, crure comminuto à suis inceptis non desistere: denique quamcunque corporis partem fortuna voluerit ei adimere, eam libenter & cupidè amittere, vt reliquo corpore mutilato, cum honore & gloria vitam traduceret? Atquî ne hoc quidem quisquam dicere audeat,homini Pellæ educato,in vrbe humili tunc atque obscura, tantam animi magnitudinem meritò ingeneratam esse, vt imperium Græco-

rum

rum concupisceret, atque hoc in animum induceret: in vobis autem, qui Athenienses estis, quíque quotidie in omnibus litteris ac disciplinis maiorum vestrorum monumenta cernitis, tãtam ignauiam atque inertiam inesse debuisse, vt libertatẽ Græcorum vltro, & vestra sponte Philippo cederetis. Nemo (inquam) hæc dixerit. Vnũ igitur erat reliquum simul & necessarium: ijs omnibus, quæ ille moliebatur, cùm iniustè vos læderet, iustè obsistere, atque obuiam ire. Ergo vos quidem ab initio hoc faciebatis, vt æquum erat, vt decebat: ego autem decernebam, & suadebam quibus temporibus in rep. versabar: fateor. At quid me facere oportebat? Iam enim ex te quæro, reliquáque omnia prętermitto, Amphipolim, Pydnam, Potidæam, Halonesum: hęc omnia obliuiscor, nihil horum memini: Serrion, Doriscus, Peparethi expugnatio, & cetera id genus, in quibus & iniuriam, & detrimentum accepit ciuitas, fuerintne vnquam, nescio. Et tamen dixisti me horum locorum commemoratione ciuitatem nostram in odium Philippi adduxisse, cùm ea decreta, quæ ad has res pertinent, sint Eubuli, Aristophontis, Diopithis, non mea. O ad dicendum quicquid tibi libeat, omnium hominum promtissime, atque expeditissime. nihil igitur ego de his nunc quicquam dicãm. Verùm ille, qui Eubœam sibi vendicabat: qui aggerem Atticæ oppugnandæ excitabat: qui Megaris inferre bellum cogitabat: Oréum occupabat, Porthmum subruebat, Philistidem Oréo, Clitarchum Eretriæ tyrannos imponebat, qui Hellespontum sub imperium ditionémque suam subiungebat, qui Byzantium obsidebat, qui vrbeis Græciæ alias funditus euertebat, in alias exsules ab exsulio reducebat: vtrùm cùm hęc faceret, iniuriam faciebat, & fœdera rumpebat, & pacem violabat, nécne? Deinde vtrùm è Græcis aliquem existere oportebat, qui hæc eum facere prohiberet, nécne? Nam si nõ oportebat, sed illum, quæ Græcia est, Mysorum prædã, vt appellatur, viuẽtibus & stantibus Atheniensib9, videri

conueniebat: frustra sunt mei tot suscepti labores cùm de talibus rebus dixi: inanem quoque & superuacaneam operam sumsit ciuitas, quæ consilio meo paruit: fuerint denique peccata & scelera omnia contra ius admissa, mea. Sin autem opus erat aliquem existere, qui hæc prohiberet: quem alium, quàm populum Athen. fuisse conueniebat? Has igitur res ego tum gerebam, & cùm illum omnium mortalium ceruicibus iugum seruitutis imponere videbam, aduersabar ego, & resistebam, tùm prædicendo, tùm monendo, ne hæc Philippo condonaretis ac proderetis. Atquí pacem ille profectò captis nauibus, non nostra ciuitas, AEschina, violauit atque infirmauit. Profer igitur ipsa decreta, & epistolam Philippi, & ex ordine recita. Nam cui quisque culpæ sit affinis, ex his planum fiet, si diligẽter attendentur, & cum re, de qua quæritur, comparabuntur. Recita. DECRETA. *Neocle prætore, mense sextili, contione ab imperatoribus extra ordinem aduocata, Eubulus Mnesithei filius Cyprius verba fecit. Quòd imperatores in cõtione nũtiarunt Leodamantem nauarchum cum viginti, quæ vnà missæ fuerant, exportandi ex Hellesponto in Lemnum frumenti causa, nauibus, ab Amynta Philippi imperatore in Macedoniam deductum, atque in custodiam datum retineri: placere vt ciuitatis moderatores, & imperatores dent operam, vt cogatur senatus, legatique ad Philippum deligantur, qui cùm primùm ad eum peruenerint, agant cum eo de dimittendo nauarcho, & nauibus, & militibus. Et si imprudens fecit Amyntas, dicant nihil de eo queri populum Atheniensem: si Leodamantem in aliquo maleficio deprehendit, cùm aliquid præter ea, quæ fuerant ei à populo Atheniensi mandata, moliretur, Athenienseis re cognita, pro eius negligentia & contumacia, in eum animaduersuros. Quòd si neutrum horũ est, sed priuatim fidem & æquitatẽ violat aut is, qui naueis misit, aut is, qui cum nauibus missus est, placere, vt petant legati à Philippo, vt hac de re faciat nos per litteras certiores, vt populus Atheniensis cùm hæc comperta habuerit, quid facto opus sit, deliberet.* Hoc igitur populi scitum fecit Eubulus, non ego. Alterum, quod deinceps sequitur, Aristophon: deinde tertium

He-

Hegesippus: deinde aliud Aristophon: deinde aliud Philocrates: postremò Cephisophon, & ceteri omnes. Ego quidem nullũ vnquã hisce de rebus verbum feci. Recita decretum. DECRETVM. *Nicocle prætore, pridie Kal. septembreis, de sententia totius senatus, ciuitatis moderatores, & imperatores, cùm de ijs, quæ in contione acta essent, ad senatum retulissent, decreuerunt populo placere, vt legati ad Philippum de nauibus recuperandis deligantur, iisque ad illum mandata dentur: etiã populi scita in contionibus facta tradantur. Lecti sunt hi, Cephisophon Cleonis filius. Anaphlystius: Democritus Demophontis filius, Anagyrasius: Polycritus Apemanti filius, Cothocides. tribu Hippothoontide summam rerum potestatem obtinente. Aristophon Colytteus præses, & consilij publici princeps sententiam dixit.*

Quo modo igitur ego hæc populi scita profero atque ostendo, ita & tu AEschina ostende, quali ego decreto scripto, belli suscipiendi auctor fuerim. At non potes. si enim posses, nihil tibi nunc prius proferendum duxisses. Atquî ne Philippus quidem in me belli culpam confert, cùm alios insimulet, & criminetur. Recita verò ipsam Philippi epistolam. EPISTOLA PHILIPPI. *Rex Macedonum Philippus, senatui populóque Atheniensi S. D. Venerunt ad me legati vestri Cephisophon, Democritus, Polycritus: egerúntque mecum de nauibus, quibus præerat Leodamas, dimittendis. Vt igitur vno verbo dicam quod sentio, stultissimi mihi esse videmini, si me ignorare putatis, hæc nauigia per simulationem frumenti ex Hellesponto in Lemnum exportandi, eo consilio esse missa, vt Selymbrianis, qui à me obsidentur, nec communibus amicitiæ fœderibus continentur, auxilium ferrent: atque hæc nauarcho mandata esse non à populo, sed à quibusdam magistratibus, & ab alijs, qui nũc priuati cùm sint, vehementer cupiunt, populum, spreta & violata amicitia, quæ mihi cum eo intercedit, bellum redintegrare: id'que vt fiat, maiore studio contendunt, quàm vt Selymbrianis opitulentur, existimantes sibi hoc facinus vectigalis instar futurum. Verumtamen non arbitror nec mihi, nec vobis hoc quicquam profuturum. Quapropter primùm hæc nauigia, quæ ad nos delata sunt, vobis remitto, & condono: deinde peto à vobis, ne magistratibus vestris per-*

mittatis, rep. malitiosè, & improbè administrare: sed coërceatis, & castigetis. quod quidem si facietis, ego quoque omni studio pacem tueri & conseruare conabor. Valete. Nusquam hîc Demosthenis nomen posuit, nullius me culpæ affinem esse scripsit. Cur igitur cùm alios criminetur, nullam de meis rebus gestis mentionem facit? quia de suis in nos iniurijs mentionem fecisset, si quid de me scripsisset. His enim affixus hærebam: ab his nusquam oculos demouebam: his denique aduersabar. Ac primùm legatio in Peloponnesum me auctore decreta est, quo tempore ille in Peloponnesum occultis itineribus irrepebat: deinde in Eubœam, cùm Eubœam appetebat: deinde exercitus in Oréum à me decretus est, non iam legatio: alter item exercitus in Eretriam, pósteaquàm tyrannos in his vrbibus constituerat: postremò classeis eas omneis misi, quibus & Cherronesus, & Byzãtium, & socij omnes seruati sunt: ex quibus vobis pulcherrima illa nata sunt, laudes, gloria, coronæ, gratiæ ab ijs, qui beneficium à vobis acceperant. Ita factum est, vt eorum, quibus iniuriam faciebat Philippus, lõgè dissimilis esset fortuna. Nam qui vobis tum fidem habuerunt, ac paruerunt, salutem adepti sunt: qui neglexerunt, hoc sunt assecuti, vt & ea, quæ prædixeratis, sæpe recordarentur: & vos non solùm optima erga se voluntate, sed etiam singulari prudentia præditos, & vates fuisse iudicarent. Omnia enim quæcunque eis prędixistis, acciderũt. Atquî cùm fugiat omnino neminem, tũ tu omniũ hominũ minimè ignoras, AEschina, magno emturũ fuisse Philistidem, vt Oréũ haberet: magno Clitarchum, vt Eretriam teneret: magno Philippum ipsum, vt hæ sibi aduersum vos facultates suppeterent, nec de ceteris rebus coargueretur: denique ne quis iniurias, quibus Græciam vbique afficiebat, magnopere attenderet, aut acrioribus oculis obseruaret. Legati enim, qui tum à Clitarcho & Philistide huc veniebant, apud te deuersabantur, AEschina, túque eis hospitium publicum comparabas: quos ciuitas tanquam hosteis, & res neque

iustas,

iustas, neque reip. vtileis persuadere dicendo conanteis, exire ex vrbe iussit, atque eiecit. Tibi autem erant amici. Nihílne igitur horum actum est? ô, te appello, qui me maledictis insectaris: qui dicis me pretio accepto tacere, cõsumto vociferari. Tu verò non item: quin tum maxime vociferaris cùm habes, neque vnquam vociferari desines, nisi hi tibi clamorem istum compresserint, inusta infamiæ nota sempiterna. Cùm igitur vos tum propter has causas me corona donassetis, ijsdémque, quibus hic Ctesiphon, syllabis Aristonicus decretum conscripsisset, corona in theatro voce præconis pronuntiata esset: hoc secundum denique mihi iam præconium obtigerit: neque tum contrà dixit AEschines cùm præstò esset, neque eum, qui sententiam dixerat, in iudicium vocauit. Ac mihi hoc quoque decretum recita. DECRETVM. *Chæronida Hegemonis filio prætore, septimo Kal. Februarias, tribu Leontide summum imperium obtinente, Aristonicus Phrearrius ita censuit. Quoniam Demosthenes Demosthenis filius Pæanieus, cùm multas & magnas populo Atheniensi vtilitates attulit, tum multis populi Atheniensis socijs & antea, & item hoc tempore suis decretis præsidio atque auxilio fuit: quódque nonnullas vrbes EubϾ liberauit: postremò quòd perpetuam erga populum Atheniensem beneuolentiam præstat, & tum agendo, tum dicendo, quantum potest, cùm ipsis Atheniensibus, tum alijs Græcis consulit: Placere senatui, populóque Atheniensi, vt Demosthenes Demosthenis filius, meritis ac veris laudibus ornetur, aureáque corona donetur. Atque hæc donatio in theatro Dionysijs, tragœdis nouis pronuntietur. Huius autem pronuntiationis procurationem habeat & tribus ea, penes quam summa sit rerum potestas, & certaminum scenicorum curator ac præfectus. Dixit Aristonicus Phrearrius.* Est'ne igitur quisquam, qui dedecore aliquo affectam, aut ludibrio habitam, aut derisam, propter hoc decretum, nostram ciuitatem esse sciat, quæ omnia nunc iste, si ego corona donatus fuero, futura confirmat? Atquî cùm res sunt recentes, & omnibus notæ, si quidem honestæ & præclaræ sint, earum auctoribus habetur gratia: sin ali-

ter, pœna in eos constituitur. At enim tum mihi gratia relata, non pœna irrogata est. Quare vsque ad illa tempora, in quibus hęc gesta sunt, nemo est, qui non me res & optimas, & ciuitati vtilissimas gessisse fateatur: hócque ita esse id erit maximo documento, quòd cùm aliqua de re deliberabatis, siue dicerem, siue decernerem, omnes sententiam meam probabatis, omnes auctoritatem meam sequebamini: quòd ea, quæ à me decreta essent, fieri iubebatis, quòd ex eis coronæ ciuitati, mihi, vobis omnibus comparabantur: quòd sacrificia, & supplicationes dijs immortalibus, propter actiones illas tanquam vtileis & salutareis, constituebatis. Posteaquàm igitur ex Eubœa Philippus depulsus ac deiectus est, armis quidem à vobis, ratione autem & scientia reip. bene gerendæ, & decretis (disrumpantur quidam istorum licet,) à me: alteram ciuitatis nostræ oppugnandæ viam quærebat. Cùm videret autem, nos magnam partem frumento importato, aliundéque aduecto vti, totius rei frumentariæ exportandæ potestatem concupiuit: & cùm in Thraciam venisset, à Byzantijs socijs suis primùm petere cœpit, vt communibus opibus, copiísque coniunctis, vnà secum bellum nobis inferrent. quod cùm recusarēt Byzantij, negaréntque se his condicionibus cum eo societatem iniuisse (neque in eo sane mentiebantur) aggeribus excitatis, vallo circumiecto, machinis admotis vrbem oppugnabat. Hæc cùm fierent, quid nos facere conueniret, non iam amplius quenquam rogabo: (omnibus enim perspicuum est) sed quis ille fuit, qui Byzantijs opem tulit? qui saluti fuit? quis prohibuit, ne Hellespontus temporibus illis à nobis alienaretur? Vos, Athenienses. vos autem cùm dico, ciuitatem nostram dico. sed quis erat ille, qui ciuitati hoc suadebat? qui decernebat? qui agebat, qui denique seipsum nullius periculi metu deterritus, non pecuniæ, non vitæ suæ parcens, rebus omnibus offerebat? Ego. Neque verò vos oportet oratione doceri quantū hæc omnibus profuerint, cùm re sitis experti.

perti. Bellũ enim, quod tum susceptum est, præter quàm quòd magnã ex eo gloriã cõsecuti estis, fecit vt omnium rerũ, quæ ad vitam degẽdã necessariæ sunt, maior vobis cum incredibili annonę vilitate suppeteret vbertas & copia, quàm in hac pace, quam isti viri boni contra patriam tuentur ac retinent, rerum quarundam futurarũ spe ducti: qua vt decidant, neque earum rerum, quę vos optimarum partium ac rectissimarum voluntatum ciues à dijs expetitis, sint participes, neque ipsi vobis ea, quę secuti sunt, quæque sibi proposuerunt, impertiant, faxint dij immortales. Recita verò Byzantiorum & Perinthiorum coronas, quibus harum actionũ nomine ciuitas nostra donabatur. DECRETA BYZANTIORVM.

Hieromnemone Bosporicho, Damaget⁹ Entealiæ filius, facta sibi à senatu dicendi potestate, verba fecit. Quòd populus Atheniensis cùm superioribus temporibus perpetuam erga Byzantios, & socios, cognatósque Perinthios beneuolẽtiam habuit, tum hoc tempore cùm Philippus Macedo bellũ huic agro, & huic vrbi calamitosum inferret, eo consilio atque animo vt Byzantios, & Perinthios funditus deleret, atque euerteret: cúmque omnia partim incendio flammísque vastaret, partim cæsis arboribus ferro popularetur, magno nobis vsui, vtilitatíque fuit, auxilióque lato centum & viginti nauibus, re frumentaria, armis, viris, magnis periculis nos liberauit, & antiquum nobis reip. statum, leges, sepulcra maiorum restituit: Populo Byzantio, & Perinthio placere, ius matrimonij nobiscum contrahendi, & ciuitatis, ac reip. nostræ communionem, agrorum & fundorum emendorum ac possidendorum potestatem Atheniensibus concedi: in ludis ac certaminibus principem locum, ac proprium, in Prytanéo, in curia, apud populum, apud eos, qui sacris præpositi sunt, tribui: tum siqui volent in vrbe nostra domicilium suarum fortunarum collocare, omnium rerum immunitatem dari: statuas autem treis sexdecim cubitorum in Bosporo poni, quæ significent, populum Atheniensem à populo Byzantio, & Perinthio corona donari: mitti autem munera ac præmia ad celeberrimos totius Græciæ cõuentus, Isthmia, Némea, Olympia, Pythia: ibíque prædicationem coronæ, qua corona populus Atheniensis à nobis donatus sit, fieri, vt

Atheniensium virtus, & Byzantiorum, Perinthiorúmque gratus animus Græcis omnibus perspectus sit & cognitus. Recita & coronas à Cherrhonesitis ciuitati nostræ decretas ac donatas. DECRETVM CHERRHONESITARVM.

Qui ex Cherrhonesitis Sestum, Eleuntem, Madytum, Halopeconnesum incolunt, ij senatum, populúmque Atheniensem corona aurea donant ducentorum & viginti sex pondo: aram Gratiæ, & populi Atheniensis excitant & consecrant, quoniam sibi maximi & singularis boni, incredibilísque felicitatis causa fuit, vt pote qui se exercitu Philippi liberarit, qui sibi sedes suas patrias, suas leges, libertatem, sacra restituerit, neque vlla sæculorum æternitate ei gratias agere, & quantum consequi poterunt, de eo bene mereri, & quicquid poterunt in eum beneficij conferre, desinent. Hæc de communi consilio in curia decreuerunt. Verùm non solùm vt Cherrhonesus, & Byzantium seruarentur, Philippus Hellespontum in potestatem suam redigere prohiberetur, nostra ciuitas his de causis, maximis honoribus afficeretur, mea instituta, meæque in administranda rep. rationes perfecerunt: sed etiam omnibus mortalibus nostræ ciuitatis bonitatem, fidem atque animi magnitudinem, Philippi improbitatem, malitiam, ac perfidiã, perspicuam, clarámque reddiderunt. Hic enim Byzantiorum amicus, & socius eos ipsos, quos tueri debebat, circumsedere atque oppugnare ab omnibus conspiciebatur: (quo quid turpius aut sceleratius esse posſit?) vos qui multa, & quidem meritò de illis queri poteratis, propterea quòd se in vos antea iniquos atque ingratos prębuerant, non modò præteritas iniurias non recordari, neque homines miseros, quibus à Philippo fiebat iniuria prodere ac deserere, sed etiam tueri ac seruare cernebamini. Quibus ex rebus gloriam, omniúmque erga vos beneuolentiam comparabatis. Atquî nemo est, qui nesciat, multos iam ex ijs, qui in rep. versati sunt, à vobis esse corona donatos. sed cuius alîus opera ciuitas nostra honorem coronæ consecuta sit, consiliarij, inquam, & oratoris, pręterquã mea, nemo est, qui proferre queat.

Vt

Vt igitur ea maledicta, quæ iste in Eubœos, Byzantiosque congessit, cùm siquid forte asperius ab illis atque acerbius contra nos actum sit, commemorabat, meras calumnias esse ostendam, non eò solùm quòd falsa sunt, (scire enim vos arbitror ita esse) sed quòd, vt maximè vera essent, res illas tamē ita tractaui, ac moderat⁹ sum, vt ciuitati nostræ essent vtiles: vnum atque alterum è præclaris facinoribus, ac ciuitati nostræ gloriosis, quæ apud vos facta sunt, exponere volo, atque ea paucis. Nam & vnumquenque priuatim, & ciuitatē publicè ad omniū, quæ extant, pulcherrima, & præclarissima exempla reliquas actiones oportet dirigere conari. Vos igitur, Athenienses, cùm Lacedæmonij terræ, maríque imperium obtinerent, & totam Atticam quoquo versus, præfectis, ac præsidijs deuinctam, obsessamque tenerēt, Eubœam, Tanagram, omnem Bœotiam, Megaram, AEginam, Cleonas, ceteras insulas haberent: cùm ciuitati nostræ non mœnia, non naues essent: ad Haliartum exercitum eduxistis, iterúmque paucis pòst diebus Corinthum, quo tempore multas à Corinthijs ac Thebanis acceptas iniurias, ob ea, quæ bello Decelico, ab illis acta fuerāt, memoria repetere poterant ij, qui tum viuebant Atheniēses maiores vestri: quod tamē non fecerūt: nihil minus. Atquî hoc vtrumque, AEschina, Athenienses neque pro benè meritis faciebant, neque à periculò vacuum cernebant: sed non idcirco tamen eos, qui ad se confugiebant, deserere in animum inducebant, immò verò pro honore & gloria, terrores omneis subire, omneisque dolores & cruciatus corporis excipere ac perferre cupiebant: qua in re nihil fallebantur, quin prudētissime rectissiméque sentiebāt. Namque omnibus hominibus vitæ terminus mors est, etiam siquis se domi inclusum contineat & custodiat. Sed viros forteis semper oportet res laudabileis atque honestas suscipere & conari, bona spe in posterum fretos, & quasi armis quibusdam tectos: quicquid autem deorum immortalium

voluntate euenerit, fortiter ac moderatè ferre. Hæc faciebant noſtri maiores, hæc qui è vobis ſunt ætate grandiores: qui ſimulatque Thebani victoriam in Leuctris conſecuti, Lacedæmonios neque vobis amicos, neque de vobis bene meritos, immo verò propter multas & graueis in noſtram ciuitatem iniurias odio acerbiſsimo dignos, de medio tollere, ac funditus delere conati ſunt, prohibuiſtis, non eorum potentia, non viribus, non opibus, non gloria bello parta deterriti: poſtremò non agitantes animis, neque reputantes cuiuſmodi vos illi in rebus iniuſtè læſiſſent, neque pro quibus hominibus eſſetis vitæ periculum adituri. Ita his factis, Græcis omnibus declaraſtis, vos ſiquis eorum in vos quantúmuis grauiter deliquerit, iras atque inimicitias aduerſus eum ſuſceptas, ad alias res, aliáque tempora reſeruare. quòd ſi aliquod in diſcrimen ſalutis aut libertatis venerint, iniuriæ acceptæ neque memores futuros, neque rationem habituros. Neque verò in his rebus ſolùm ita animati fuiſtis: ſed cùm ſibi iterum Thebani Eubœam vendicarent, neq; vos neglexiſtis, neque iniurias, quibus à Themiſone, & Theodoro ad Oropum affecti fueratis, memoria tenuiſtis, ſed his quoque ſuccurriſtis: quo quidem tempore primùm trierarchi voluntarij ciuitati extiterunt, in quibus ego fui. Sed nondum ad eum locum veni, vbi mihi his de rebus dicendum ſit. Atqui cùm clara in hoc veſtra virtus enituerit, quòd inſulam illam ſeruauiſtis: tum verò multo præclariſsimum veſtrum illud factum extitit, quòd cùm & virorum, & vrbium Euboïcarum compotes eſſetis, ijs, qui vos læſerant, vtraque reddidiſtis, nulla iniuriarum vobis factarum in ijs, quæ veſtræ fidei commendata, & credita fuiſſent, ratione ducta. Alia ſexcéta, quæ commemorare poſſum, prætermitto: naualeis pugnas, exercitus in expeditionem eductos, pedeſtreis copias tum antea, tum veſtra memoria comparatas: quæ quidem omnia pro ceterorum Græcorum ſalute ac libertate ciuitas noſtra ſuſcepit. Cùm igitur animaduer-

animaduertissem,& cognouissem,ciuitatem nostram in tot ac talibus rebus pro commodis alienis nullam dimicationem recusasse,cùm res ipsius ageretur, consiliúmque & certamen quodammodo de ea iniretur,quid ego ei suadere,quid consilij dare debui? Vtrùm vt præteritas iniurias recordaretur in eos,qui præsidium nostrum implorabant, qui seruari cupiebant? an vt excusationum latebras quæreret, quibus vtilitatem Græcorum communem proderemus? Et quis me non meritò necaret, si quod ornamentum, decúsque ciuitatis verbis duntaxat contaminare conarer?Nam rem quidem vos non fuisse facturos ego certo scio. si enim voluissetis, quid vobis obstitisset? nō licebat? non vobis præstò aderant isti homines,qui hæc dicturi ac suasuri essent?Iam igitur ad ea, quæ deinceps publicè gessi, reuertor. atque in his mihi rursum spectate, & considerate, quid esset optimum factu ciuitati. Cùm enim viderem, Athenienses, classem vestram dilabi atque euanescere,diuites impensa modica facta immunitatem esse consecutos, mediocrium aut tenuium facultatum homines ad egestatem esse redactos, ciuitatem ob has causas nihil suo tempore facere, sed amissa iam occasione ad res agendas aggredi: legém tuli,qua diuites officium facere coëgi,pauperes ab iniuria vindicaui: deniq; perfeci,vt omnis commeatus, omnis belli apparatus(quod erat vtilissimum) suo tempore ciuitati suppeteret: atque ob hanc actionem, de legibus contra leges rogatis in iudicium vocatus, vestræ me potestati,sententiæque permisi,in conspectum vestrum veni, & absolutus sum: accusator autem ne quintam quidem tabellarum partem pro se obtinuit. Atqui quanti classium magistros aut primos,aut secundos,aut tertios à me fuisse putatis empturos, primùm ne hæc lex à me ferretur: secundo loco vt ego tota re inchoata relicta atque abiecta eis iurandi in litem, & iureiurando interposito, recusandi, aut prorogandi iudicij potestatem facerem,atq; ita eos elabi sinerem? tanti profectò, Athe-

nienses, quanti apud vos dicere non ausim. Atque hæc non immeritò facerẽt. Licebat enim illis per leges priores senis denis inter se copulatis, muneribꝰ publicis fungi, cùm ipsi paruam, ac propè nullam impensam singuli facerent, tenuium atque inopum rem familiarem contererent atque exhaurirẽt: mea autem lege pro suis quemque facultatibus pecuniam conferre oportebat. ita duabus triremibus præfectus mea lege exortus est is, qui vnius sumtum decimus sextus antea sustinebat. Non enim se tunc trierarchos, sed tributi conferendi socios nominabant. Quare vt hæc tollerentur, atque vt ne officium facere cogerentur, nihil est, quod mihi daturi non fuerint. Ac mihi primùm plebisscitum illud, propter quod in iudicium adductus sum de legibus contra leges superiores rogatis: deinde censuum descriptiones, & eam, quæ priore lege obseruabatur, & eam, quam ego mea lege induxi, recita. PLEBISSCITVM A DEMOSTHENE FACTVM. *Prætore Polycle, decimo sexto Kal. septembreis, tribu Hippothoontide summam rem obtinente, ciuitatémque moderante, Demosthenes Demosthenis filius Pæanieus legem tulit ad nauium præfecturas pertinentem, superiore abrogata, qua trierarchis tributorum conferendorum partitio concedebatur. Atque hanc Demosthenis legem senatus sententia sua, populúsque Atheniensis suffragio suo comprobauit. Itaque hoc nomine, Demosthenem Patrocles Phlyeus iudicio de legibus non legitimè rogatis reum fecit. Qui, Demosthene omnibus sententijs absoluto, cùm quintam tabellarum iudicialium partem nõ obtinuisset, quingẽtis drachmis multatus est.*

Profer verò & egregiam illam census descriptionem lege superiore institutam. DESCRIPTIO TRIBVTI CONFERENDI EX LEGE ANTIQVA. *Trierarchi ad vnius triremis sumtus vocantor seni deni, ad rationem earum tributi collationum, quæ in centurijs, aut manipulis militum obseruari solet, ab ætatis anno vicesimo quinto vsque ad quadragesimum: atque hi parem & æquabilem inter se sumtum in triremeis faciunto.*

Age iam mihi descriptionem quoque ex mea lege inductam profer ac recita. DESCRIPTIO EX LEGE DEMO-

MOSTHENIS. *Singuli trierarchi delecti singulis triremibus attribuuntor pro suis quisque facultatibus, quorum census sit decem talentorum. quòd si sit pluris: pro proportione vsque ad tria nauigia, cum nauicula actuaria, conferendi munere funguntor. eadem proportione, si bona sint minoris, quàm decem talentorum, consociantor, & coëunto inter se ad muneris perfunctionem, vsque ad decem talenta.* Vtrùm vobis videor tenuibus mediocriter subuenisse? Vtrùm diuites paruo fuisse videntur empturi, vt ne officium facere cogerentur? Non solùm igitur his nominibus glorior ac triumpho, quòd hæc diuitibus nō remisi, neque condonaui: & quòd in iudicium vocatus, absolut' sum: sed quòd legem vtilem reip. tuli, idque re, atque euentu probaui. Cùm enim toto belli tempore, mea lege classes nauigarent, nullus vnquam trierarchus ad vos supplex confûgit, tāquam meæ legis iniuria oppressus atque afflictus: nullus in Munychia ad aram Dianæ sedens, onus sibi lege impositum deprecatus est: nullus à magistratibus classicis in vincula coniectus est, quòd legi meæ parêre noluisset: nulla triremis neque foris comprehensa perijt nostræ ciuitati, neque hîc remansit cùm in altum deduci non posset. Atquî prioribus legibus hæc omnia accidebant. Causa autem in pauperibus consistebat, quippe qui munere publico fungi propter egestatem non possent. Ex hoc igitur multarum rerum gerendarum impedimenta, multæque difficultates inexplicabiles nascebantur. Ego verò ab ijs, quibus angusta res familiaris, tenuésq; facultates erant, ad locupleteis & copiosos nauium præfecturas transtuli. Ita quæ ratio postulabat, quæque tempora reip. desiderabant, rectè atq; ordine agi cœpta sunt. Atquî etiam hoc nomine laus mihi debetur, quòd hanc reip. administrandæ viam, rationémque secutus sum, ex qua vno tempore gloria, honores, opes, & copiæ ciuitati quærebantur. Nulla autem mea reip. gerendæ ratio neque inuida, neque maligna, neque acerba, neque malitiosa, neque humilis aut abiecta, neq; ciuitate nostra indigna reperietur. Atque ean-

dem planè mentem, ingenijque indolem in ciuitate nostra gubernanda præstitisse videbor, quam in toti⁹ Græciæ rebus procurandis atque administrandis adhibui. Nam neque in ciuitate nostra gratiam diuitum pluris, quàm multitudinis iura feci, neque in rebus Græcorum, Philippi hospitium ac munera, communibus totius Gręciæ commodis ac rationibus antiquiora mihi fuerunt. Iam igitur mihi reliquum esse arbitror de præconio, ac de iudicio rationum referendarum dicere. Nam me res optimas, & populo vehementer vtileis egisse, beneuolentiámq; erga vos perpetuò habuisse, omnique opera ac studio reip. profuisse, satis ex ijs, quæ dicta sunt, constare existimo. Atquî partem maximam rerum à me publicè institutarum & actarum prætermitto, quòd arbitrer primùm mihi de crimine ipso decretorum contra leges factorum esse differendum, rationémque reddendam: deinde etiam si nihil de reliquis actionibus, & rebus meis gestis dicam, nihilo minus tamen vestram mihi cōscientiam testem esse earum locupletem. Iam quę iste sursum ac deorsum omnia permiscens ac perturbans, & oratione longo anfractu verborum circumacta, de legibus disputauit, contra quas hoc decretum scriptum esse arguit: neque mehercule quenquam vestrûm esse puto, qui, quid diceret, intellexerit, neque ego intelligere potui. Mihi autem deliberatum est, rectam ac simplicem defensionis viam sequi. Tantum abest enim, vt dicam, me iudicio referendarum rationū non teneri (quod iste mihi crebrò obijciebat, falsò, & ita esse asseuerabat) vt eorū, quę per omnem vitā publicè vel tractaui, vel administraui, rationē me apud vos referre debere cōfitear: sed quę de meis bonis populo vltro largitus sum, eorum rationem neq; à me referri vllo tempore oportere dico: (audis AEschina?) neq; ab vllo alio, ne si ex nouē quidē sit prætoribus. Nam quæ tam iniusta, quæ hominum generi tam inimica atque infesta lex, vt, qui de suo sit largitus, quique humanitate adductus benignum se, & munificum,

ficum, & liberalem re præbuerit, eum gratiæ quidem fru ctu priuet, calumniatoribus autem & ſycophantis conſtrictum tradat? hos ad repoſcendas eorum, quæ illæ dedit, rationes, iudices conſtituat? Nulla profectò eſt: aut ſiquam iſte eſſe contendat, oſtendat, atque ego æquo animo ferã, & tacebo. Verùm, Athenienſes, omnino nulla reperietur. Itaque calumniatur iſte me, & quòd, cùm ego theatrali pecuniæ præfect⁹ eſſem, pecuniam de meo largitus ſum, ſenatus (inquit) eum laudauit, quo tempore referendarum rationum iudicio tenebatur. Non ob vllam rem, cuius rationẽ reddere debebam, perditiſsime ſycophanta, ſed propter meam largitionem ac liberalitatem. At muris reficiendis curator eras (inquit). Etiam ob id ipſum meritò laudabar, propterea quòd quæ in eorum refectionem inſumſi, donaui, neq; in tabulas retuli, expenſúmue tuli. Nam expenſi latio ſanè, iudicium referendarum rationum, & iudices, qui rationes diligenter expendãt, deſiderat: donatiò verò ac liberalitas, laudem, gratiámque promeretur. Hanc igitur ob cauſam Cteſiphon hoc de me ſcitum fecit. Atque hæc ita eſſe, & nõ ſolùm legibus eſſe definita, verùm etiam inſtitutis ac moribus noſtris eſſe comparata, multis argumentis & teſtimonijs vobis demonſtrabo. Nam primùm Nauſicles cùm eſſet imperator, ſæpe ob ea, quæ de ſuo largitus eſt, à vobis corona donat⁹ eſt. Deinde Diotimus, quòd clypeos dederat: & rurſum Charidemus, coronis donati ſunt. Tum Neoptolemus iſte multis operibus præfectus, propter ea, quæ de ſuo largitus eſt, honorem coronæ eſt conſecutus. Eſſet enim hoc miſerabile ſanè atque ingemiſcendum, ſi magiſtratum aliquem gerenti, vel ſua largiri propter magiſtratum non liceret, vel eorum, quę largitus ſit, non gratiam vllam conſequeretur, ſed iudicium referendarum rationum ſubire cogeretur. Atque hæc ita eſſe, Athenienſes, ex ijs ipſis, quæ his decreta ſunt, cognoſcite. Recita mihi decreta. DECRETVM. *Prætore Demonico Phlyeo, ſexto Kal. ſeptembreis, verba fecit Callias*

Phrearrius de sententia senatus, populique Atheniensis, Placere senatui, populóque Atheniensi, Nausiclem armis præfectum corona donari, quòd cùm duo millia peditum Atheniensium grauioris armaturæ essent in Imbro, vt Atheniensibus eam insulam incolentibus auxilium ferrent, neque posset Phialo, cui suffragio populi huius muneris administratio delata fuerat, propter hiemem ac tempestatem aduersam nauigare, neque stipendium militibus persoluere, de suo vltro erogauit, nec tamen à populo repetijt: placere præterea coronæ donationem Dionysijs, tragœdis nouis, præconis voce pronuntiari. ALTERVM DECRETVM. *Callias Phrearrius, moderatoribus ciuitatis de sentētia senatus cōuocatis, verba fecit: Quòd Charidemus militibus grauioris armaturæ præfectus, cum classe Salaminem missus, & Diotimus magister equitum, nonnullos milites in eo prœlio, quod ad fluuium Elissum commissum est, spoliatos ab hostibus, suis sumtibus, clypeis octigentis armauerunt: placere senatui, populóque Atheniensi, Charidemum & Diotimum aurea corona donari, eámque coronā Quinquatribus magnis, in gymnico certamine, & Dionysijs, tragœdis nouis, præconis voce pronuntiari: Atque huius præconij curam habere thesmothetas, & ciuitatis moderatores, penes quos est summa rerum potestas, & certaminum scenicorum curatores ac magistros.* Vterque horum, AEschina, eius quidem muneris, quod administrabat, rationes referre debebat: sed eorum, propter quæ corona donabatur, minimé. Ne ego quidem igitur. Eodem enim iure scilicet, quo alij, fretus sum. Largitus sum de meo: propterea laude afficior, cùm eorum, quæ de meis bonis dedi, rationes referre non debeam. Magistratus gessi, eorúmque rationes retuli, non eorum, quæ liberalitate adductus dedi. Esto. At magistratus perperam gessi. Si ita est verò, cur cùm apud rationum præfectos, quorum de ea re notio erat, rationem referebam, præsertim cùm adesses, non me accusabas? Vt igitur sciatis, istum ipsum mihi testem esse, me ob ea, de quibus rationes referre non debebam, corona esse donatum: sume mihi totum scitum de me factum, & recita. Ex ijs enim, quæ de senatus consulto in iudicium non vocauit, se ipse aperiet & in-

indicabit, atq; in ijs, quæ iudicio persequitur, improbissimus calumniator reperietur. Recita. DECRETVM.

Prætore Euthycle, Vndecimo Kal. Nouembreis, tribu Oeneïde summam rem obtinente, & ciuitatem moderante, Ctesiphon Leosthenis filius Anaphlystius verba fecit. Quoniam Demosthenes Demosthenis filius Pæanieus muris reficiendis curator, præter id, quod ei de publico fuerat attributum, tria talenta de suo in opus publicum à se insumta populo condonauit, ac remisit, neque exigere curauit: quoniámq; pecuniæ theatrali præfectus, omnium tribuum pecuniam theatralem centum minis auxit in sacrificia: placere senatui, populóque Atheniensi, Demosthenem Demosthenis filium Pæanieum, virtutis ergò, beneuolentiæque perpetuæ, quam erga populum Atheniensem habet, laudari, coronáque aurea donari, eiusque coronæ donationem, ac prædicationem in theatro, Dionysijs, tragœdis nouis fieri. Prædicationis autem curam ad ludorum curatorem deferri.

Hæc sunt igitur quæ largitus sum, quorum nihil est, quod in iudicium vocaris: sed quæ iubet senatus mihi pro his persolui, ac tribui, hæc sunt, quæ tu reprehendis, atque insectaris. Túne igitur cùm ea, quæ dantur, accipere legitimum esse concedas, pro eisdem gratiam referre, de decretis contra leges factis persequeris? Si hominem insigniter improbum, & dijs inuisum, & germanum sycophantam ac maleuolum natura describere velimus, qualis per deos immortaleis fuerit? non huiusmodi? Atquî quod attinet ad prædicationem in theatro faciendam, non dico de sexcenties sexcentis hominibus illic esse prædicatum: prætermitto meipsum ibidem sæpenumero esse corona donatum: sed per deos immortaleis, itá ne stolidus, hebes, ac stupidus es, AEschina, vt nunquã cogitare & considerare tecũ ipse potueris, coronã, vbicunq; ei⁹ prædicatio fiat, semper eandem laudem, eandemque gloriã ei, qui donetur, afferre: sed eorũ, qui coronam donãt, vtilitatis gratia, prædicationẽ in theatro fieri? Omnes enim, qui vocem præconis audierunt, cùm ad bene merendum de ciuitate excitantur, tùm verò eos, qui gratiam referunt, maioribus laudibus, quàm

eum, qui corona donatur, efferunt. Iccirco hanc legem tulit ciuitas, quam recita. LEX. *Quoscunque aliqua municipia, aut oppida Attica donāt corona, coronarū prædicationes apud suos quæque populos faciūto: nisi quos popul⁹ aut senatus Atheniēsis corona donabit. De his autem liceat in theatro Dionysijs prædicare.*

Audis AEschina legem dilucidè loquētem? *Nisi quos populus, aut senatus corona donabit. De his autem prædicationem in theatro fieri fas esto.* Quid igitur, infelix, calumniaris? quid verba fingis? cur teipsum tandem veratro non purgas? Non te pudet alterum capitis arcessere, non quòd ei crimen alicuius iniusti facinoris inferre possis, sed quòd eius laudi ac virtuti inuideas, atque obtrectes? non pudet alias leges commutare, alijs parteis detrahere, quas æquum erat totas recitari, præsertim ijs, qui se secūdum leges sententiam laturos iurauerunt? Et tamen cùm talia facias, quibus virtutibus virum popularem præditum esse oporteat, exponis, non aliter atque si statuam præscriptis verbis, & ex syngrapha faciendam locauisses: deinde cùm tibi traderetur, esset aliter facta, quàm syngrapha cautum esset: aut proinde quasi homines populares verbis, non factis, ac rebus gestis spectentur, & cognoscantur. Atque interea vociferaris, & dicenda tacenda tanquam è plaustro loqueris, quæ in te, genúsque tuum conueniunt, non in me: quibus inusta vita tua est, non mea. Atqui, Athenienses, hoc ego inter accusationem, & maledictionem interesse putò, quod in accusatione crimina insint oportet, ea, quib⁹ pœnæ sint legibus constitutæ: maledictio autem nihil habeat propositi, prēter conuicia, & cōtumeliam, quæ ab inimicis inter ipsos confingi, & iaci solent. Verùm hæc iudicia maiores nostros eo consilio ædificasse arbitror, non vt vobis à re familiari vestra abductis, atque in hunc locum coactis, maledicta inter nos dictu atque auditu fœda, ac nefaria iaceremus: sed vt siquis fortè in ciuitatem peccauerit, iniuriámque reip. fecerit, eum coarguamus, & conuincamus. Hæc cùm sciret AEschines æquè atque ego, nihilominus

lominus me maledictis insectari, quàm accusare maluit. Verumtamen ne hac quidem re æquum est eum posteriores ferre, atq; inferiorem discedere. Sed iam me ad hæc conferam, si hoc tantum ab eo quæsiuero. Vtrùm te vis AEschina, ciuitatis, an meum inimicum appellari? Meum scilicet: hoc enim gestu significas. Et tu vbi tibi licebat, siquid iniustè in Athenienses commiseram, pœnas à me legibus pro his expetere, neglexisti: in iudicijs referendarum rationum, in accusationibus de ijs, quæ contra leges scripta sunt, in alijs iudicijs: vbi verò integer & innocens eram, omníque culpa vacabam, omni ex parte, rebusque omnibus, legibus, tempore, diei præscriptione, multis iudicijs antea his de rebus factis, eò denique quòd nunquam vllius in vos peccati conuictus sum: cùm ciuitas ex ijs reb⁹, quę publicè benè gestæ sunt, necessariò aliàs plus, aliàs minus gloriæ consequatur: hîc mihi occurristi? hîc tu te mihi aduersarium obtulisti? Vide ne germanus ac verus horum sis inimicus, meus verò fictus ac simulatus. Posteaquàm igitur vobis omnibus, religiosæ ac iustæ sententiæ ferendæ via monstrata est, oportet me (vt video) tametsi me natura finxerit à maledicendi studio remotissimum, tamen propter eius in me maledicta, pro multis, & falsis criminibus, quæ in me congessit, ea quæ verissima, & maximè necessaria sunt, in istum regerere: & simul ostendere, quis, & à quibus ortus AEschines, tam sit ad alterum maledictis lacessendum procliuis ac paratus: & verba quædam mea exagitet, cùm ea ipse locutus sit, quæ nemo pudens ac modestus vsurpare non magnopere vereatur, ac reformidet. Nam si AEacus, aut Rhadamanthus, aut Minos esset is, qui accusat, non clamator odiosus, ac molestus, rabula de foro, cantor formularum, perditus scriba, non arbitror eum talia fuisse dicturum, nō tam grauia, & insolentia verba conquisiturum & congesturum: qui tanquam in tragœdia, clamabat, O Terra, Sol, Virtus, & cetera huiusmodi: & rursus Intelligentiam, & Doctrinam, qua

res honestæ ab inhonestis internoscuntur, tragica voce implorabat. Audistis enim cùm hæc diceret, scilicet. Tibi verò, aut tuis, ô cœnum, ecqua virtutis communitas est? ecqua rerum honestarum, aut contrariarum internoscendarum nota? vnde nacto, aut quomodo consecuto? Vbi tibi doctrinæ mentionem facere fas est? quam qui verè consecuti sunt, nemo tamen eorum est, qui quicquam tale audeat de se prædicare: quin etiam si quis alter de ipso prædicet, erubescat. ij verò, qui cùm ea careant, qualis es tu, præ stupore cordis tamen, & duritia animi, habere se simulant, hunc fructum ex orationis suę vanitate capiunt, quòd auditores obtundunt atque enecant, non autem talem de se apud eos opinionem consequuntur. Sed cùm mihi non desit quod de te, & de tuis dici possit ac debeat, vnde potissimùm dicendi initium faciam, deest. vtrùm ab eo, quòd pater tu⁹ Tromes apud Elpiam, eum, qui propter ædem Thesei docebat litteras, seruiebat, crassis pedicis, & ligneis compedibus vinctus an quòd mater tua cùm diurnis nuptijs in caula, quę est ad heroëm Calamitã operã daret, te pulcherrimam statuam, & summum ac præstantem tertiarum partium histrionem educabat? an quòd eam contemtus & classicus tibicen Phormio Dionis Phrearrij seruus ab hoc honestissimo quæstu excitatam abduxit? At mehercule vereor, ne, dum de te ea dico, quæ in te conueniant, quæ'que te deceat audire, ea mihi dicenda suscepisse videar, quæ à meis moribus abhorreant, quæ'que me dedeceat dicere. Quamobrem hæc quidem missa faciam: ab eius autem factis & vita anteacta incipiam. Non enim vnus de multis, non fortè fortuna oblatus homo, sed ex eorũ numero est, quos populus exsecrari solet. serò enim tandem, serò, inquam, immò verò heri & nuper Atheniensis simul & orator factus est, & duabus syllabis additis, patrem, qui Tromes nominabatur, Atrometum fecit: matrem graui sanè, & honorifico nomine Glaucotheam appellauit, quam sciunt omnes Empusam antea fuisse nomi-

nominatam: tracto videlicet ex contumelia cognomine, ob id, quòd omnia & faceret & pateretur. Vnde enim potius? Ita tamen ingratus es, improbusque natura, vt, cùm liber ex seruo, diues ex paupere atque egente horum beneficio factus sis, non modò gratiam eis non habeas, sed tuis operis mercede locatis, contra hos remp. geras. Atque ea quidem, quæ in dubium & contentionem venire possunt, vtrùm sint ab isto pro ciuitatis vtilitate dicta, nécne, præteribo. Quæ autem sine controuersia pro reip. hostibus agere compertus est, hæc commemorabo atque exponam. Quis vestrûm nescit, Antiphontem è tribu motum, atque è numero ciuium segregatum, quòd se vestra naualia incensurum promisisset, in vrbem venisse? quem cùm ego in Piræeo delitescentem comprehendissem, & in aspectum vestrum, contionémque produxissem, improbissimus iste sycophanta clamans & vociferans me in ciuitate libera res non ferendas atque indignas facere, qui ciueis calamitosos atque afflictos contumelijs insequerer, atque vexarem, eorúmque domos introirem, sine populi scito dimittendum curauit. Quòd nisi senatus Ariopagiticus re intellecta, cùm videret, vos alienissimo tempore, imprudentia, ignorantiáque labi, hominem perquisiuisset, comprehensúmque ad vos reduxisset, vobis ereptus esset homo nocentissimus, & pœnis iustis ac debitis elusis, ab isto grandiloquo ostẽtatore dimissus. Nunc autem quæstione de eo habita cruciatum necauistis, vt item istum morte affici oportebat. Itaque cùm hæc sciret senatus Ariopagiticus, ea dico, quæ tũ ab isto nefariè commissa sunt, cúmque eum vos eodem errore, eadémque ignoratione decepti, qua multa iam in rep. de manibus amisistis, actorem & patronum templi Apollinis, quod in Delo est, suffragijs vestris creauissetis: simulatq; grauissimum illum senatum adhibuistis, eique totius rei potestatem permisistis, istum quidem cõtinuò vt proditorem exegit atque expulit: Hyperidem autem huic causæ agendæ

præesse voluit. Atque hæc gesta sunt, cùm tabellę ex ara ferrentur: neque vlla omnino tabella isti impuro suffragata est. Quæ vt esse vera perspicere posſitis, testeis vobis in hanc rem locupleteis producam. Euoca testeis.

TESTES. *Dicũt hi omnibus de rebus testimonium Demostheni, Callias Sunieus, Zeno Phlyeus, Cleo Phalereus, Demonicus Marathonius. Cùm populus olim actorẽ ac patronũ causæ pro tẽplo Deliaco apud Amphictyones dicendæ AEschinem suffragio suo creasset, nos in consilium miſsi iudicauimus, Hyperidem digniorem esse, qui personam ciuitatis sustineret: atque ita miſsus est Hyperides.*

Cùm igitur istum spe iam certa, atq; opinione sua illius causæ actorem senatus repudiauit, & alteri negotiũ dedit: tunc & proditorem, & maleuolo in vos esse animo pronuntiauit. Vnam rem habetis ab isto fortiſsimo viro gestam, ijs rebus, quas in me reprehendit, valde similem, nonne? Accipite nunc alteram: & memoriam vestram ad ea, quæ dicturus sum excitate. Quo tempore Philippus Pythonem Byzantium misit, atque ab omnibus socijs suis legatos vnà cùm eo mittẽdos curauit, tanquam ciuitatem nostram dedecore atque ignominia affecturus, & ius gentium ab ea lædi planum facturus: ego tum Pythoni insolentius se iactanti, & multitudine verborum nos perfundere atque obruere torrentis instar cogitanti, non ceſsi, neque pedem retuli, aut terga verti, sed surrexi, ac restiti: neque iura ciuitatis tacui, aut prodidi, sed Philippum nobis iniuriam facere vsque adeò firmis ac certis argumentis ostẽdi, & peruici, vt ipsi illius socij subitò exsurgerent, ac palam faterẽtur. At iste Philippi patrocinium susceperat, testimoniúmque contra patriam dicebat, idque adeo falsum: neque his fuit contentus, sed iterum postea, non longo pòst tempore vnà cum Anaxino exploratore in Thrasonis ædeis ingrediens, & sermones conferens deprehensus est. Atqui qui cum eo, qui ab hoste miſsus erat, solus cum solo versabatur, & consilia, sermonésque conferebat, iste ipse explorator erat, & hostis patriæ natura. Atque hæc vera

ra esse ex testibus cognoscetis. Citentur testes. TESTES.
Menedemus Cleonis filius, Hyperides Callæschri, Nicomachus Diophanti, denuntiato à Demosthene testimonio, testificantur, idque apud imperatores iurarunt, se scire AEschinam Atrometi filium Cothocidem noctu in ædeis Thrasonis introisse, & cum Anaxino cōmunicasse, eo, qui explorator à Philippo missus iudicatus est. Hæc testimonia dicta sunt prætore Nicia, tertio nonas Iunias. Cùm sexcenta alia habeam, quæ de isto dicam, prætermitto. Namque ita quodammodo se res habet. Multa huius generis præterea possum vobis ostendere, in quibus iste per illa tempora & hostibus inseruisse, & mihi per improbissimam calumniam, malitiámque obstitisse perspectus est. Sed neque hæc vobis digna videntur, quæ memoriæ mandetis, neque cùm auditis, pro magnitudine & grauitate facinorum satis acrem vobis iram commouēt. Quin pessimo quodam iam more cuilibet è populo potestatē, licentiámque permittitis eum supplantandi, & calumniandi, qui dicat aliquid è re vestra, ciuitatis commoda cum ea voluptate, quæ ex maledicentia percipitur, commutantes. Quapropter facilius semper & tutius est hostibus inseruientem, mercedem accipere, quàm eas parteis, quæ vobiscum faciant, sequētem, remp. administrare. Atque antequàm apertè cum Philippo bellum gererem⁹, ei studuisse, operamq́ue dedisse: sceleratum ac nefarium est, ô terra, ò cælum, dijq́ue immortales. quis neget? contra patriam? sed tamen hoc ei date, si vultis, date. Verùm cùm spoliatæ iam & captæ naues erant, cùm Cherrhonesus euertebatur, cùm in Atticam inuadebat Philippus, neque iam res erat dubia, sed bellum exarserat: nihil quicquam ostendere potest maledic⁹ iste sycophanta, iambeorum scriptor, quod pro vestris commodis gesserit: non vllum ab AEschina scitum factum est, neque magnum, neque paruum, quod ad reip. vtilitatem pertineat. Quòd si vsque eò impudens est, vt aliquod extare dicat, iam nunc ostendat sanè, meísque horis vtatur. Sed nullum est. Atqui necesse est alterum è duobus

esse verum, vt aut quòd ea, quæ à me agebantur, reprehendere non posset, idcirco alia, quæ à meis discreparent, non decreuerit, ac scripserit: aut quòd hostium rationibus consulere cogitaret, ea, quæ meis cogitatis sciret esse meliora, in medium proferre noluerit. At cùm aliqua in re vobis noceri posse sperabat, tum nihílne dicebat? nihílne decernebat? Immo verò non relinquebatur alteri quicquam dicendi locus. Ac cetera quidem, quæ iste occultè fecit, poterat sanè ferre ciuitas, vt opinor. Sed vnum superioribus suis facinoribus addidit, Athenienses, eiusmodi, quo admisso ceteris fastigium imposuit, quodque aliorum tãquam extremus actus esse videri queat: de quo longam sanè orationem consumsit, cùm Amphissensium decreta presequeretur: quasi verò hac ratione rei veritatẽ inuertere, ac deprauare posset. Sed non ita est. Cur enim inuerteretur à mẽdacio veritas? Longe aliter est. Neque vnquam tam multa dices, vt eorum scelerum, quæ in ea re commisisti, maculas eluere possis. Sed vobis præsentibus atque audientibus, Athenienses, deos, deásque omneis appello, qui huic terræ Atticæ præsident, & Apollinem Pythium, huius ciuitatis patrium, atque auitum custodem, precórque ab ijs omnibus, vt si quidem apud vos vera dixero, & dixi apud populum tum, cùm primùm istum impurissimum hanc rem attingere animaduerti: (cognoui enim statim, cognoui) dent mihi salutem cum optato vitæ cursu, perpetuáque felicitate coniunctam. Sin odio priuato adductus, & contentionis studio elatus, falsum isti crimen inferam, omnium me rerum bonarum ac secundarum fructu priuent. Cur igitur hæc mihi precat⁹ sum, aut cur tam vehemẽter contendi? Quia quamuis & tabulas habeam in tabulario publico cónditas, quibus confido me hæc vobis plana facturum, & sciam vos eius actiones memoria tenere, illud tamen vereor, ne istius persona humilior ac leuior existimetur, quàm vt tanta scelera ab eo admissa esse videantur: quod antea contigit, cùm infeli-
cis-

cissimis Phocensibus causa fuit cur funditus interirent, rebus falsis huc ex legatione renuntiatis. Iste est enim, qui bellum Amphissense excitauit, propter quod Elatéam inuasit, & Amphictyonum dux ac princeps lectus est Philippus, is, qui res vniuersas Græcorum euertit, atque afflixit: iste deniq; vnus est ex omnibus, qui Græciæ calamitatum, acerbissimorúmque malórum causa fuit. Et cùm illo ipso temporis puncto testarer, & clamarem in contione: *Bellum in Atticam inuehis, AEschina, bellum Amphictyonicum concitas, AEschina:* alij multo antè dedita opera comparati, atque ad eam rem compositi, ac subornati, mihi dicendi potestatem non faciebant: alij mirabantur, & me ei falsum crimen propter inimicitias priuatas imponere arbitrabātur. Quæ autem harum rerum conditio, Athenienses, fuerit, quam ob causam hæ res comparatæ atq; instructæ, quomodo gestæ fuerint, nunc denique, quoniam tunc prohibiti estis, attendite. Nam hinc & rem callidè compositā fuisse intelligetis, & simul magno vobis ea, quæ dicturus sum, ad cognitionem rerum communium erunt vsui atque adiumento: & quanta Philippi sollertia, quantum ingenij acumen fuerit, cognoscetis. Philippus quomodo se bello, quod nobiscum gerebat, explicaret, quóue pacto eius belli molestia defungeretur, nō reperiebat, nisi Thebanos, ac Thessalos, iniquos atque infensos nostræ ciuitati redderet: quin etiam, vt cum eo infeliciter, & minus strenuè nostri pugnarent imperatores, ab ipsius belli vi tamen, & à prędonibus, maximis & innumeris detrimentis afficiebatur. Nam neque quicquam eorum, quæ terra gignebat, foras exportabatur, neque ea, quibus egebat, importabantur. Iam verò neque in mari superior vobis erat, neque in Atticam venire poterat, si neque Thessali eum sequerentur, neque Thebani per suos fineis ei aditum patefacerent. In eum autem locum rationes eius erant deductæ, vt quamuis prœlium secundum faceret, superiórq; è bello discederet, qualciscunque imperatores mittere-

tis(hoc enim nihil ad ea,quę nunc agimus,pertinet)ipsa tamen loci, rerúmque, quæ vtrisque suppetebant,natura, maximis incommodis conflictaretur. Quòd si vel Thessalis,vel Thebanis persuadere conaretur,vt priuatarum ipsius inimicitiarum causa vobis bellum inferrēt, eorum neminem auditurum putabat: sin communibus illorum causis susceptis efficeret, vt ad se belli principatus deferretur,facilius se partim fallēdo, partim persuadendo,id,quod optaret, consecuturum sperabat. Quid igitur molitur?videte quàm callidè atque astutè. Bellum aduersus Amphictyones conflare, tumultúmque apud consessum illum Pylæum concitare. Existimabat enim, eos statim ad has res auxiliū suum desideraturos. Siquis autem vel ex consilii Amphictyonici scribis, (hieromnemonas appellam⁹)quos ipse mitteret,vel ex eius socijs,hoc bellum suasisset, Thebanis ac Thessalis rem suspectam futuram, omneísque sibi diligēter cauturos arbitrabatur: sin huius belli auctor ac suasor, Atheniensis atq; à vobis aduersarijs profectus esset,sese nullo negotio consilia sua tecta habiturum:quod ita euênit. Quónam igitur modo hæc assecutus est? nimirum istum conducit.Deinde cùm hac de re nemo,opinor,vel tenuissimam antea auditionem accepisset, nemo prospiceret, nemo caueret: iste, quemadmodum talia apud vos fieri cōsueuerunt, pylagoras nominatus,tribus aut quattuor suffragium ferentibus,renuntiatus ac declaratus est. Ac cùm primùm ciuitatis dignitate atque auctoritate fret⁹, ad Amphictyonas peruênit, rebus alijs omnibus spretis ac prætermissis, ad ea conficienda omni cura & studio incumbebat, propter quæ conductus erat. Ita verbis in speciem honestis, sermonibúsque fabulosis adornatis, comparatis atque expositis, homines rerum ac verborum imperitos, incautos,& quid esset futurum minimè prouidenteis,ad decernendum adducit,vt totā illam regionem obirēt ac perlustrarent,quam Amphissenses, vt suam, à se arari atque obseri fatebantur: iste ad ter-

ram

ram sacram pertinere arguebat, cùm Locri neque vllam nobis multam irrogarent, neque ea, quæ iste suo sceleri prætexit, multum à veritate disiuncta, cogitarent. Quòd ita esse, hinc cognoscere potestis. Non licebat Locris, nisi iudicio nobis denũtiato, vllã nostræ ciuitati multam irrogare. Quis vos igitur reos citauit? cuius imperij aut magistratus auctoritate? cedò hominem qui sciat: ostende. At non potes. sed tota illa causa abs te temere & falsò conficta est. Cùm igitur Amphictyones istius hortatu, agros illos obijssent, Locri impetu facto, omneis pæne iaculis confixerunt: nonnullos etiam hieromnemones comprehẽderunt, & discerpserunt. Atque vt semel ex his simultates, atque offensiones ortæ, bellúmque aduersus Amphissenseis natum est: primùm Cottyphus Amphictyonum exercitui præfectus est: deinde cùm alij non venirent, alij venissent quidem, sed nullam operam nauarent, Pylæo consilio, eo, quod proximè cõsecutum est, nonnulli partim ex Thessalis ad eam rem compositi, & iampridem improbi, partim ex alijs ciuitatibus causas probabileis, & speciosas nacti, totam rem ad Philippum detulerunt. dicebant enim aut ipsos pecuniam conferre oportere, externósque milites alere, & qui hæc recusarent, multare: aut illum belli ducem esse deligendum. Quid multa? factum est, vt huius belli principatus ad Philippum deferretur. Ille autem postea breui tempore exercitu comparato, cùm per simulationem belli Cirrhęo campo inferendi aduenisset, Cirrhæis & Locris longum valere iussis, Elatéam occupat. Quòd si non statim consilium mutassent Thebani, seséque nobiscũ maturè coniunxissent, totius huius belli impetus veluti torrens quidam in ciuitatem nostram irruisset. Nunc autem illi confestim eius conatum represserũt: maximè quidem, Athenienses, dei alicuius benignitate erga vos & beneuolentia: secundo loco, quantum vnius hominis virtus præstare potest, mea opera. Cedò mihi hæc decreta, & tempora, quibus vnumquicque gestum est, vt sciatis quot &

quantis turbis impurissimum caput excitatis, pœnas tamen nondum persoluerit. Recita decreta. DECRETVM AMPHICTYONVM. *Sacerdote Clinagora, Pylæo concilio verno, pylagoræ, Amphictyonúmque cōsiliarij decreuerunt: Quoniam Amphissenses in agrum sacrum ingrediuntur, eū colunt, cōserunt, pecore immisso depascūt, vt pylagoræ, & consiliarij eò se conferāt, terminos cippis & columnis distinguant, & Amphissensibus in posterum tempus eius agri aditu interdicant.* ALTERVM DECRETVM. *Sacerdote Clinagora, concilio Pylæo verno, pylagoræ, & Amphictyonum consiliarij, & commune Amphictyonum, ita censuerūt: Quoniam Amphissenses agrum sacrum à se occupatum, viritímque possessum ac diuisum arant, & pecore immisso depascunt: & cùm hoc facere vetarentur, manufacta, & armatis hominibus, commune Græcorum consilium vi propulsarūt, nonnullos etiam vulnerarunt: placere vt Cottyphus Arcas Amphictyonum delectus imperator ad Philippum Macedonem legatus proficiscatur, ab eóque petat, vt Apollini, & Amphictyonibus opem, auxiliúmque ferat, nec sinat ab impijs Amphissensibus deum nefariè violari, iniuriáque affici: postremò doceat, idcirco eum imperatorem summa potestate præditum à Græcis constitui omnibus, qui consilij Amphictyonici sunt participes.* Recita verò & tempora, quibus hæc gesta sunt, ea enim ipsa sunt. quibus iste fuit pylagoras. TEMPORA. *Mnesithida prætore, decimo sexto Kal. decembreis.* Cedò mihi etiam epistolam Philippi, quam cùm ei iam non obtemperarent Thebani, ad socios, qui sunt in Peloponneso misit, vt ex hac quoque intelligatis & illum veram rerum susceptarum causam, nempe se hæc contra Græciam, contra Thebanos, contra vos ipsos agere ac moliri, occultasse, & res ad communem Græcorū vtilitatem pertinenteis, atque ab Amphictyonibus decretas facere se simulasse, & istum has ei rerum gerendarum opportunitates, & facultates, & caussas subministrasse. Recita. EPISTOLA PHILIPPI.

Rex Macedonum Philippus Peloponnesiorum, eorum, qui communi societatis vinculo & fœdere continentur, magistratibus, & consiliarijs, reliquísque socijs omnibus S. D. Quoniam Locri Ozolæ,

læ, qui nominantur, Amphissæ habitantes, in templum Apollinis Delphicum nefaria scelera committunt, sacram terram vi & armis populantur, diripiunt, ac spoliant, habeo in animo vobiscum deo subuenire, atque opitulari: eósque, qui aliquid religione apud homines consecratum violare audent, armis persequi, atque vlcisci. Quapropter facite, vt mihi cũ armis ad Phocidem occurratis, ibique præstò mihi sitis cõmeatu, & re frumentaria in dies quadraginta instructi, mense proximo sextili, aut, vt nos vtimur, Loo: vt Athenięses, Boëdromione: vt Corinthij, Pánemo. Eorum igitur, qui non manu facta, & multitudine armata, se tamen nobis adiunxerint, consilio vtemur: qui verò ab hac societate refugerint, eos malè multabimus. Valete. Videte vt veras huius incepti causas dissimulet atque occultet, & ad Amphictyonicas confugiat, in eisque delitescat. Quis igitur ei fuit harum rerum administer atque adiutor? quis has ei causas & latebras præbuit? quis malorũ, quæ acciderunt, maximè architectus? quis auctor? quis caput? non iste est? Nolite igitur, Athenienses, inter deambulandum dicere, Græciam ab vno homine his calamitatibus affectam esse. non ab vno, sed à multis & improbis, quos habent singulæ Græciæ ciuitates: ò terra, ò dij immortales: in quorum iste numero est: quem, si me nulla re deterritum verum dicere oportet, non dubitem communem omnium, quæ postea perierunt, labem, perniciem, ac procellam nominare, hominum, locorum, ciuitatum. Nam vt in seminibus causa inest arborũ & stirpium, sic tu, qui horum omnium malorum, quæ orta sunt, semen præbuisti, eorum causa meritò dici debes: quem statim vt aspexistis, quo tandem pacto, ò ferrei, non auersati, atque aspernati fueritis, equidem demiror. Sed immensæ quędam scilicet, densæque tenebræ vobis veritatis lucem obscurant. Factum igitur est nunc denique, vt, dum eas res tracto, quas iste contra patriam gessit, ad meas tandem in rep. administranda actiones peruenerim, in quibus ego istorum consilijs restiti: quas cùm multis de causis meritò ex me audietis, tũ ob eam causam maximè, quod turpe est, Athe-

nienses, quarum ego actionum, rerúmque gestarum laborem pro vobis subierim ac pertulerim, earum vos ne verba quidem æquis auribus, atque attentis animis audire. Cùm igitur viderem, Thebanos, ac pæne dicã, vos ipsos, Athenienses, eorum consilijs, atque insidijs, qui Philippi rationibus consulebant, quique apud vtrosque pretio corrupti erant: quod erat & vobis & illis pertimescendum, ac magnopere prouidendum & cauendum, ne Philippum crescere sineretis, id negligere, nulláque in re vobis præcauere: ad mutuas autem inimicitias, ad offensiones ac discordias procliueis promtos ac paratos esse: ego asiduè in speculis eram, & id ne accideret, prouidebam, non quòd meo solùm ingenio, & consilio fretus hæc nobis conducere putarem, sed quia sciebam Aristophontem, & item Eubulum, semper hanc inter vos concordiam, atque amicitiam conciliare & constituere studuisse: & cùm alijs in rebus inter se sæpenumero dissentirent, & concertarent, in hac vnum & idem semper sensisse: quos tu viuos, ô bellua, officij causa deducebas & assectabaris, quos summa obseruãtia colebas, quibus assentabaris: mortuos non te pudet accusare. Nam quæ mihi de Thebanis crimini das, in ijs multo magis illos, qui hanc societatem ante me approbarunt, quàm me, reprehendis & accusas. Verùm ad illa reuertor, de quibus dicere cœperam. Cùm igitur iste quidem bellum Amphissense excitasset, alij autem eius adiutores Thebanos à vobis alienassent, áccidit, vt Philippus bellum nobis inferret: cuius rei gratia isti ciuitates inter se mutuis offensionibus exasperabant. quod nisi paullo priores experrecti essemus, ne colligendi quidem nostri, aut respirandi data nobis facultas esset: adeò longè istorum studio atque opera res processerat. Quo animo autem tum inter vos affecti essetis, ex his decretis, Philippique responsis cognoscetis: quæ mihi recita. DECRETA. *Heropytho prætore, septimo Kal. Martias, tribu Erechtheïde summam rerum potestatem obtinente, de senatus, imperatorúmque sententia:*

tentia: Quoniam Philippus finitimas vrbeis alias occupauit, alias delet atque euertit: denique omnino in Atticam inuadere parat, fœdera inter nos percussa pro nihilo putans: iusiurandúmque vtrinque interpositum, & pacem factam infirmare instituit, fidem datam, acceptámque negligens: placuit senatui, populóque Atheniensi, vt ad eum legati mittantur, qui cum eo agant, orent'que, maximè, vt concordiam mutuam, pactionésque nobiscum factas tueatur, atque obseruet: secundo loco si hoc nobis minus cõcedendum esse existimet, deliberandi tempus & spatium det ciuitati, induti ásque nobiscum vsque ad mensem Aprilem faciat. Lecti sunt è senatu Simus Anagyrasius, Euthydemus Phlyasius, Bulagoras Alopecensis. ALTERVM DECRETVM. *Prætore Heropytho, pridie Kal. Aprileis, de eius, qui rei militari præest, sententia: Quoniam Philippus Thebanos à nobis alienare conatur, & cum vniuerso exercitu in loca Atticæ maximè vicina irrumpere parat, fœdera inter nos icta negligens, decreuit senatus, populúsque Atheniensis iussit, vt ad eum caduceator & legati mittantur, qui ab eo postulent, eúmque hortentur, vt nobiscum inducias faciat, quo populus, quoad eius fieri poterit, pro re nata, deliberet, & statuat, quid sibi agendum sit. Nam nunc quidem non censuit, ne mediocre quidem auxilium esse mittendũ. Lecti sunt è senatu, Nearch⁹ Sosinomi fil. Polycrates Epiphronis fil. fetialis Eunomus Anaphlystius priuatus & de plebe.* Recita verò & Philippi responsa. RESPONSVM PHILIPPI ATHENIENSIBVS DATVM. *Rex Macedonum Philippus senatui, populóque Atheniensi S. D. Qua ab initio fueritis erga me voluntate, quantóque studio elaboraueritis, vt Thessalos, Thebanos, atque etiam Bœotos alliceretis, non ignoro. Verùm cùm cepissent illi consilia cautiora, & saniora, neque iudicium ac voluntatem suam vestræ potestati tradere, aut summittere voluissent: sed sese ad parteis vtiliores applicuissent, vos nunc sententia mutata, missis ad me legatis ac fetialibus, facitis mihi de fœderibus mentionem, à méque, vt ego indutias vobiscum pacificar, petitis, nulla prorsus in re à nobis iniustè læsi. Ego igitur, vestris legatis auditis, assentior vestris postulatis, indutiásque vobiscum facere paratus sum, ea lege si eos, qui vobis minus recta consilia dederunt, è ciuium numero eijciendos atque ignominia afficiendos curaueritis. Valete.*

EIVSDEM RESPONSVM THEBANIS DATVM. *Rex Macedonũ Philippus, senatui, populóque Thebano S.D. Epistolã vestrã accepi, qua mihi concordiam nostram, pacémque inter nos constitutã renouatis. Audio porrò Athenienses omnia erga vos studia vobis deferre, ac polliceri, eo consilio, vt ea, quæ à vobis postularunt, approbetis. Atque equidem antea existimabam fore, vt spem vobis ab illis ostentatam, eorúmque institutum ac voluntatem sequeremini. Nunc verò posteaquàm cognoui, vos pacem mecum colere ac tueri, quàm aliorum consilijs & sententijs morem gerere maluisse, magnopere lætatus sum: immò verò cùm multis nominibus vobis gratulor, tũ ob id maximè vos laudo, quòd & melius vobis consuluistis, & vestram erga me beneuolentiã declarastis. Quam quidem rem spero vobis magno adiumento ad omnia futuram, si modò in hac sententia maneatis. Valete.* Cùm ciuitates his artibus ac rationibus inter se sic affecisset Philippus, his decretis & responsis elatus, venit cum exercitu, Elateámque occupauit, proinde quasi siquid rerum nouarum moliretur, ne tum quidem vos & Thebani consensuri essetis. Quamuis autem qui tum in vrbe motus ac tumultus fuerit excitatus, meministis: vos tamen, dum ea, quæ huic causæ coniuncta ac necessaria sunt, expono, quæso diligenter attendite. Cùm iam vesper esset, venit quidam ad ciuitatis moderatores, qui nuntiaret Elatéam esse occupatam. Ibi continuò alij, his inter cenandum auditis, surrexerunt, opifices ex tabernis, quæ in foro sunt, exturbarunt, pelleis & tabernacula viminibus obducta incenderunt: alij, imperatores arcessebant, & tubicinem euocabant: vrbs denique plena turbarum, plena clamoris ac strepitus, plena tumultus erat. Postridie hora diei prima, ciuitatis moderatores, senatum in curiam vocabãt. Vos in contionem concurrebatis, & prius quàm quicquam in senatu actum, vllúmque senatusconsultum factum esset, populus vniuersus in locis superioribus consederat. Deinde statim vt senatus in contionem venit, exposuerũt ciuitatis moderatores ea, quæ ad se delata essent, eúmque, qui venerat, produxerunt: qui cùm ea, quæ audistis,

distis, locutus esset:interrogabat præco, quis verba facere vellet.nemo prodibat. Cùm iterum ac sæpius illud idem interrogaret præco, nihilo magis quisquam ad dicendum surgebat, cùm adessent omnes imperatores, omnésque oratores: cùm denique communis patriæ vox audiretur, quæ aliquem,qui pro communi salute diceret,euocabat,atque inuitabat. Nam,quam vocem præco ex legum præscripto mittit, hæc communis patriæ vox haberi debet. Atqui si eos, qui ciuitatẽ saluam esse volebant,in medium prodire,atque in suggestum ascendere oportebat,vos omnes, & ceteri Athenienses surrexissetis, atque in contionem ascendissetis: omnes enim,sat scio,cõseruari volebatis:si locupletissimos, trecenti viri, qui censu reliquis ciuibus antecellunt: si eos, quibus vtrunque suppetit, & optimus in remp. animus, & res familiaris ampla & lauta, eos, qui postea eximiam liberalitatem & munificentiam in populum cõtulerunt. Nam & beneuolentia adducti, & diuitijs freti, munifici fuerunt & liberales. Verùm,vt appâret,tempus illud,atque ille dies non virum in ciuitatem beneuolum & diuitem tantùm requirebat,sed eum,qui ab initio ita se com parasset, vt rerum ordinem ac progressum vsu doctus, animo penitus comprehensum haberet,&apud se rationibus omnib⁹ subductis cogitatione explicasset,quid sibi vellet, quid spectaret, quam ob rem hæc ageret Philippus. Nam qui hæc nesciret, neque ea diligenter expendisset, quantumuis esset reip. beneuolus atque amicus,quantumuis locuples & pecuniosus,nihilo magis tamen quid faciendum esset, sciret, aut,vt sciret, consilij vobis dandi facultatem haberet. Ego igitur illo die is exortus sum,quem patrie salus requirebat: ego surrexi, & in contionem ascendi, eáque apud vos locutus sum, quæ nunc peto à vobis, duabus de causis vt diligenter, & erectis animis ex me audiatis: primùm vt intelligatis, me vnum ex ijs, qui contionari solent, quíque in rep. versantur, beneuolentiæ erga patriam præsidium & lo-

cum, in asperis ac formidolosis reip. temporibus non reliquisse, sed in ipso discrimine, atque in ipsis rebus aduersis ea perspectum esse tum dicere, tum decernere, quę tempora reip. postulabãt. deinde quia breui tempore in his audiendis cõsumto maiorẽ totius reip. status cognitionem cõsecuturi estis. Dixi igitur tũ, eos, qui sic trepidarent ac tumultuarentur, quasi Thebani essent amici Philippo, totius rerum præsentium status ignaros mihi videri. Nam si ita esset, inquam, non iam eum Elatéæ, sed in nostris finibus esse audirem⁹: venisse autem illũ certò scio, vt ea, quæ iampridem molitur in Thebanos, composita, parata, atque expedita habeat. Atque, vt intelligatis quomodo hæc se habeant, diligenter attendite. Quotquot illic ex Thebanis vel pecunia inducere, vel dolis capere potuit, omneis habet sibi pulchrè instructos ac paratos. Eos autem, qui & ab initio sibi restiterunt, & nunc etiam aduersantur, nulla ratione vt sibi obtemperent, flectere potest. Quid igitur sibi vult? aut cur Elatéam occupauit? copijs suis proximè illorum vrbem ostentatis, armisque in eorum conspectu positis & constitutis, cogitat amicis quidem animos augere, eosque erigere, & spe optima cõfirmare: aduersarios autem perterrere, vt vel metu perculsi, vel vi ac necessitate coacti, ea concedant quę nunc renuunt ac pernegant. Si nos igitur hoc tempore statutum in animis habebimus, siquid forte à Thebanis grauius ac durius in nos antea commissum est, id meminisse, illísque diffidere, illos deniq; in hostium numero ac loco ducere: primùm ea ipsa, quæ Philippus auidissimè expetit, ac vehementer exoptat, faciemus: deinde vereor, ne cùm eum in amicitiam receperint ij, qui nunc ei aduersantur, atq; ita vno animo omnes cum Philippo fecerint, ac steterint, vtrique iunctis copijs in Atticam inuadant. Quare si consilium meum atque auctoritatem secuti fueritis, sique ad prudenter ac sapienter cogitandum, non ad contendendum his de rebus, de quibus nunc dissero, omni studio, curáque

que incubueritis, ſpero me & opinionem fidelis ac prudentis monitoris apud vos conſecuturum, & periculum, quod impendet ciuitati, depulſurum. Quid igitur dico? Primùm vos à metu, in quo nunc verſamur, liberos ac ſolutos eſſe oportere: deinde illum ipſum metum aliò deriuare, & omneis Thebanis timere: (multo enim propius abſunt à malis: periculóque, quod Græcis imminet, maximè ſunt omnium propinqui.) deinde & vos, qui per ætatem arma ferre poteſtis, & vos equites Eleuſinem inſtructa acie profectos, Græcis omnibus oſtendere, vos in armis eſſe, vt ij, qui Thebis vobiſcum & ſentiunt, & faciunt, æquè vt vobis, liceat de communi Græcorum iure liberè ſentire, & liberè loqui, cùm exploratum habuerint, quemadmodum ij, qui patriam Philippo vendiderunt, habent copias Elatéæ inſtructas ac paratas, auxilio ſibi, vbi opus erit, futuras: ita ijs, qui pro libertate decertare volunt, vos præſtò eſſe, alacreis, promtos, ac paratos, præſidióque eis futuros, ſiquis eos bello laceſſat. Deinde decem legatos ſuffragijs creandos eſſe cenſeo, atque his pariter cum imperatoribus ſummam poteſtatẽ permittendam & ſtatuendi, quo tempore milites illuc proficiſci debeant, & exercitus ſub ſignis educendi. Poſteaquàm verò legati Thebas peruenerint, quónam modo hanc rem tractandam & adminiſtrandam cenſeam, quæſo diligenter attendite. Nihil quicquam à Thebanis ſupplices petite, nihil eos rogate. turpe enim tempus eſt. ſed vos auxiliũ eis laturos, ſi vti velint, promittite, tanquã illi quidem ſummo in diſcrimine verſentur: nos autem acrioribus oculis, quàm illi, rerum euentum proſpiciamus, vt, ſiquidem hęc approbent, nobiſque aſſentiantur, primùm lætemur nos ea, quæ volumus, eſſe conſecutos, & ex ſententia res eſſe adminiſtratas: deinde in his rebus agendis, antiquam noſtræ ciuitatis dignitatem & amplitudinem retineamus: ſin nihil profecerimus, illi quidem ſeipſi accuſent, & de ſe querantur, ſiquid nunc titubarint, atque offenderint: à no-

bis autem nihil turpe, nihilque humile admissum esse gaudeamus. Hæc & quædam alia his similia cùm dixissem, descendi. quæ cùm essent ab omnibus comprobata, nemóque quicquam contrà dixisset, non & ea dixi, & non decreui: neque verò decreui, & non legationẽ obij: neq; legatione obita, Thebanis non persuasi: sed à principio progressus rem totam gradatim ac singillatim ad exitum perduxi, méque planè totum in periculis & difficillimus reip. temporib⁹ vobis patefeci, obtuli, ac permisi. Cedò mihi decretum, quod tum factum est. Atquî quem te vis AEschina, quem meipsum fuisse illo die faciam? An me quidem, quem tu maledicti & contumeliæ causa appellaueris, Batalum fuisse vis: te autem non fortè fortuna oblatum heroa, sed aliquem ex his de scena Cresphontem, aut Creontem, aut, quem tu olim in Colytto cùm eum malus malè ageres, obtriuisti Oenomaum? Tunc igitur, illo, inquam, tempore, ego ille Batalus Pæanieus, te Oenomao Cothocida melior, & laudabilior patriæ ciuis extiti. Nam tu quidem nulla ex parte vsquã vtilis eras ciuitati: ego autem omnia optimo atque vtilissimo ciue digna & præstabam, & gerebam. Recita decretum. DECRETVM DEMOSTHENIS. *Nausicle prætore, tribu AEantide summam rerum potestatem obtinente, decimo sexto Kal. Iunias, Demosthenes Demosthenis filius Pæanieus verba fecit: Quoniam Philippus Rex Macedonum cùm superioribus temporibus pacis fœdera, quæ cum eo populus Atheniensis percussit, apertè neglexisse, iusiurandum, iuráque omnia, quæ apud omneis peræquè Græcos sancta sunt, despexisse, ac pro nihilo putasse: vrbeis, in quibus nihil omnino iuris habet, intercepisse, ac sibi vendicasse: nonnullas, quæ sunt Atheniensium, vi & armis cepisse reperitur, nulla accepta à populo Atheniensi iniuria: tum hoc tempore vi & crudelitate longius in dies progreditur: nam ex Græciæ vrbibus alias præsidijs deuincit, & liberorum populorum statum reip. labefactat, alias in seruitutem redigit, & diruit: in alijs colonos barbaros, Græcis eiectis, collocat, sacrorũ ac sepulcrorum vsum eis impertiens, nihil alienum neque patria, neque ingenio suo faciẽs,*

re-

rebus secundis intemperanter & immoderatè perfruens atque exsultans: denique oblîtus se ex humili & contemto Macedone magnum insperatò factum esse: quandiu enim populus Atheniensis videbat eum vrbeis barbaras, quasi peculiareis ac proprias intercipere, leuius id esse & tolerabilius arbitrabatur, cùm ipse in se peccaret: nūc autem cùm cernat oculis, vrbeis Græciæ partim ignominia affici, partim deleri, ac funditus euerti: & graue, & maiorum suorū gloria indignum esse putat, se conniuēte ac patiente Græcos opprimi atque in seruitutē abduci: Propter has igitur causas, decreuit senatus, populúsque Atheniensis, vt ciues deos immortaleis, atque heroas, huius vrbis, solique Attici custodes ac præsides comprecati, sacrificiisque sollennib⁹ ritè factis, & maiorum nostrorum virtutem animis agitantes, memoriáque repetentes, quibus multo optabilius erat, Græcorum libertatem, quàm patriam suam, conseruare, ducentas naueis in mare deducant, nauarchus ad Thermopylas nauiget, imperator & magister equitum pedestreis & equestreis cōpias Eleusinem educat: ad ceteros Græcos præterea legati mittantur, sed omnium primùm ad Thebanos, quia Philippus in eorum fineis maximè imminet: qui legati eos hortentur, & orent, vt nullo Philippi metu territi, tueantur, ac retineant suam, aliorúmque Græcorum libertatem: polliceantur, & confirment, populum Atheniensem, præteritarum iniuriarum memoria deposita, & siquid fortè antea hæ duæ ciuitates durius inter se fecerunt, oblîtum opem, auxiliúmque eis laturum copijs, pecunia, telis, armis, præclarè intelligentem, ipsos inter se Græcos de imperio ac principatu decertare honestum esse: sed exteri hominis & alienigenæ dominatum subire ac perpeti, principatúque ab eo spoliari, hoc verò & Græcorum gloria, & maiorum suorum virtute esse indignum. Præterea populum Atheniensem non arbitrari Thebanos neque cognatione generis, neque gentis coniunctione à se alienos esse. Recordari verò & maiorū suorum magna in Thebanorum maiores & proauos merita ac beneficia. Herculis enim liberos, qui à Peloponnesiis imperio paterno spoliabantur, ijs, qui cum illis acie instructa prælium committere ausi fuerant, bello superatis, in possessionem imperij restituisse: nos etiam Oedipum, eiúsque socios è patria eiectos excepisse, aliáque multa nostræ erga Thebanos humanitatis & benignitatis gloriosa monumenta

extare: Itaque ne nunc quidem populum Athenienſem à ſuo priſtino more, Thebanis, reliquiſque Græcis conſulendi & commodandi deſtiturum. Poſtremò pactionem cum ijs faciant, ſocietatem ineant, ius eis connubij tribuant, dent iuſiurandum, viciſsimque accipiant. Legati Demoſthenes Demoſthenis filius Pæanieus, Hyperides Cleandri fil. Sphettius, Mneſithides Anthiphanis fil. Phrearrius, Democrates Sophili fil. Phlyeus, Callæſchrus Diotimi fil. Cothocida.

Hoc rerum Thebanarum principium, hic primus ſtatus fuit. Antea enim ciuitates omnes iſtorum opera nobis erant infenſæ atque inimicæ, antea diſsidebant. Hoc decretum, illud, quod tum ciuitati periculum impendebat, tanquam nimbum aut procellam depulit, atq; auertit. Erat igitur boni ciuis ac iuſti, ſiquid his melius haberet, tunc omnibus oſtendere ac declarare, non nunc maledictis inſequi ac reprehendere. Suaſor enim, ſiue conſiliarius, & ſycophanta cùm omnibus in rebus valde ſint inter ſe diſsimiles, tum in hac plurimùm diſcrepãt, quòd ille qua de re agitur, ea de re quid ſentiat, ante rerum euentum exponit ac pronuntiat, ſimulque ſe ipſe reum de rationibus referendis offert ijs, qui eius conſilium ſecuti ſint, fortunæ, temporibus, cuiuis denique, qui ab eo rationem repetere voluerit. hic verò cùm eo tempore tacuerit, quo tempore eum maximè verba facere oportebat, ſiquid durius ac triſtius acciderit, hoc per improbiſsimam calumniam inſectatur, carpit, ac lacerat. Quare, quod dicere cœperam, tempus illud virum de patria magnopere laborantem, ſollicitum, atque animo excubantem requirebat: tempus illud iuſtas ac veras pro rep. voces deſiderabat. At ego quò deſcendã, quóue progrediar, videte. ſiquis docere poteſt, melius aliquod tum cõſilium, ac rectius potuiſſe ciuitati dari, atque adeò ſiquid omnino aliud ſuaderi potuit, pręterquàm quod ego ſuadendum eſſe iudicaui, me grauiter peccaſſe fateor. Nam ſiquid eſt, quod nũc quiſquam profuturum fuiſſe, ſi tunc à vobis actum eſſet, diſpexit: id me ignorare non debuiſſe concedo: ſin neque eſt, neque fuit quicquam, neque quiſ-

quisquam ne hodie quidem melius afferre potest, quid eum, qui consilium dabat, facere oportebat? nō eorum, quæ in promtu erant, quæque facultatem habere videbantur, optima sumere ac deligere? Hoc igitur feci, interrogāte præcone, AEschina, *Quis verba facere vult?* non, *Quis de præteritis accusare*, neque, *Quis de rebus futuris sponsor esse vellet?* At cùm tu temporibus illis mutus & elinguis in contionibus sederes, ego in medium procedebam, & ea de re, quæ proponebatur, orationem habebam. Verùm quandoquidem tunc siluisti, at nunc certè lóquere: ostende, quæ oratio, quam me excogitare atque explicare conuenerit: quæ temporis opportunitas reip. vtilis: quæ societas, quæ actio, ad quam potius hos cohortari, atque impellere debuerim, à me fuerit prætermissa. Atqui præterita semper apud omneis homines negliguntur, neque ea quisquam vsquam ad deliberandum proponit. Præsentia autem & futura, suasoris parteis, munúsque postulant. Tum igitur rerum incommodarum, atq; aduersarum, aliæ imminebant, atque instabant, (vt erat opinio) aliæ iamiam aderant & vrgebant: in quibus meam administrandæ reip. rationem, meáque consilia specta, non euenta calumniare. Omnium enim rerum exit' talis esse solet, qualem esse fortuna voluerit. Consilium autem ipsum, suasoris & consiliarij mentem indicat ac declarat. Quare ne sit hoc meum crimen, ne mihi hanc culpam attribue, si Philippus in acie victoria potitus est. nam prœlij euentus atque exitus in deo, non in me positus erat. sed me aut nō omnia, quæ humano consilio prouideri potuerunt, prouidisse ac secutum esse, neque recte, neque diligenter, neque vigilāter, & laboriose, ac pæne dicam, supra quàm meæ vires possent, egisse: aut res minus honestas, ac ciuitate indignas, miniméq; necessarias instituisse: hæc mihi ostendito, & iam tunc sanè me accusato, ac reprehendito. Nunc verò si fulminis cuiusdam, aut procellæ, aut tempestatis illîus, quæ tum coorta est, tanta vis fuit, vt non vos solum, verùm etiam

reliquos omneis Græcos perculerit atq; afflixerit, quid facto opus est? egóne accusandus sum? vt siquis nauicularium, qui ea omnia, quę ad vectorum salutem pertinerent, adhibuisset, nauémq; rebus omnibus, quibus eam seruari posse consideret, instruxisset, graui postea tempestate iactatum, armamentis nauis comminutis & collisis, aut etiam prorsus contritis ac perfractis, naufragij crimine in iudicium vocet. At ego nauem non gubernabam, dixerit ille, quemadmodum, neque ego exercitum ducebam, neq; fortunam in mea potestate habebam: sed illa contrà rerum omnium erat domina. Verùm illud mihi vide & considera. Si nobis, etiam Thebanis nobiscum in acie stãtibus, iunctisque amborum copijs, ita rem gerere, quomodo gesimus, erat fatale, quid exspectare, aut quid sperare deberemus, si hos socios non haberemus, sed ij sese cum Philippo cõiunxissent: quod vt assequeretur, omnia faciebat, omnia loquebatur, omneísq; voces mittebat? Et si nũc prœlio tridui itinere ab Attica cõmisso, tãto in periculo fuit ciuitas, tãtóq; timore perculsa est, quid siqua in parte soli Attici eadem calamitas accidisset, euenturum nobis esse sperandum esset? putatis nos nunc standi, congrediendi, respirandi denique facultatem habituros fuisse? Multas nobis dies vnus, & alter, & treis expediendæ salutis vias ac rationes dederũt. Neque verò ea me commemorare attinet, quæ tunc nostra ciuitas, dei alicuius erga nos beneuolentia ac benignitate vsa, huiúsque societatis, quam tu maledictis insectaris, præsidio munita, & veluti propugnaculo defensa, ne experta quidem est. Sed vos admonitos velim, iudices, tam longam hac de re disputationem ad vos haberi, & ad ceteros, qui audiunt, quíque hoc iudicium foris circumsistunt. Nam ad istum ipsum contemtissimum & contaminatissimum hominem breuis & aperta oratio satis erat longa. Si enim tibi vni ex alijs omnibus, AEschina, futura, explorata erãt & cognita, cùm de his consultabat ciuitas, tum ea te prædicere oportebat. Sin erãt tibi

tibi quoque incerta & incognita: eiusdem tu, atque alij ignorãtiæ iudicium subire, rationémque referre debes. Cur igitur de his tu me potius reprehendis atque accusas, quàm ego te? ego enim ciuis tanto melior, quàm tu, fui, in his ipsis, quę dico, (de ceteris enim nondum disputo) quòd ego in ijs, quæ omnium sententia ac iudicio è rep. esse videbantur, vltrò ciuitati mei copiam feci, vltrò me ad omnia obtuli, nullum periculũ priuatum perhorrui, nullius aduersi casus rationem habui. Tu verò, neq; alia dixisti his meliora (non enim hi meam auctoritatem secuti, neque meis consilijs vsi essent) neque teipsum ad hæc vlla ex parte vtilẽ præbuisti: sed, quod nequissimus & maleuolentissimus quisque in ciuitatem fecisset, hoc tu post rerum euentum facere reperiris. Et vno tempore Aristratus in Naxo, Aristolaus in Thaso, homines, vt semel dicam, infestissimi atque inimicissimi huic ciuitati, Atheniensium amicos in iudicium vocant, & Athenis AEschines Demosthenem accusat. Atquî is, qui apud se Græcorum calamitates ad laudem & gloriam reconditas seruabat, perire potius & morte affici, quàm alterum accusare debet. & cui eadem, quæ reip. hostibus, tempora profuerunt, fieri non potest, vt ei patria sit cara. Denique quo sis in ciuitatem animo, tu ex ea vita, quam viuis: ex ijs, quæ facis: ex ijs rebus, quas geris, & quas non geris, ostendis ac declaras. Bene rem vestram geritis, & aliquid vobis ex sententia procedit? mutus est AEschines. reflauit vobis atque aduersata est vspiam fortuna, & aliquid, quod opus non erat, vobis accidit? præstò est AEschines, vt rupta & conuulsa vbi corpus morbo aliquo fuerit affectum, commouentur, & acrem dolorem præbent. Et quoniam euenta crebrò exagitat & insectatur, libet mihi quiddam dicere, quod à cõmuni omnium opinione fortassis abhorrere videatur. Nequis autem miretur, obsecro vos per deos immortaleis, me ita rem amplificare verbis, & orationem propemodum supra fidem augere, sed beneuolo animo ea, quæ dico, audiat,

& audita cōsideret. Si futura antè quàm euenissent, explorata omnibus fuissent: si ea omnes præsciuissent: si tu, AEschina, prædixisses, & sublato clamore testificatus esses, qui ne locutus quidem es: ne sic quidem nostræ ciuitati ab his consilijs desistendum, aut refugiendum fuit: siquidem aut gloriæ, aut maiorum, aut posteritatis aliquam rationem duceret. Nunc enim nihil aliud dici potest, quàm eius consilijs fortunam non respondisse, eámque spe sua decidisse, quod omnibus mortalibus commune est, vbi ita deo visum fuerit. Tunc verò ea, quæ se imperio ac principatu dignam putaret, deinde ab hoc descisceret: culpam totius Græciæ Philippo proditę meritò sustineret. Nam si hæc sine dimicatione essent à nobis deserta ac prodita, pro quibus nullum periculum nostri maiores recusassent, quis te non consputaret? quis te non acerbissimo odio dignum existimaret? (nō enim me dicam, neq; ciuitatem) quibus verò oculis, per deos immortaleis, eos intueremur, qui in hāc vrbem venirēt, si, cùm res in eum locū, quo in loco hodie sunt, deuenissent: dux, princepsque Græcorum sumtus esset Philippus cum summa omnium rerum potestate, alij autem sine nobis ne hæc fierent, omni contentione pugnassent? idque cùm ciuitas nostra numquam antea tranquillitatem securam gloriæ expertem, pluris quàm periculum pro rebus honestis susceptum fecerit? Nam quem Græcorum, quem verò barbarorum fugit, & Thebanos, & eos, qui ante hos potentissimi fuerunt, Lacedæmonios, & regem Persarum, quietam illam & otiosam vitam nostræ ciuitati libenter fuisse concessuros, magnámque ei gratiam habituros cum eo, vt & quicquid aliud vellet, acciperet, & sua obtineret, si imperio parêre vellet, alterúmque Græciæ principatu potiri sineret? sed non erant hæc, vt appâret, Atheniensibus patria, neque auita, neque ferenda, neq; in eorum animis insita: neq; vnquam quisquam ab omni ęternitate ciuitati persuadere potuit, vt cum potētioribus, iisdémque ad iniuriam faciendam instru-

instructis atque exercitatis conspirans, & consociata, tranquillè, otiosè, tutóque seruiret: quin de principatu, de honore, de gloria sese periculis omnibus non dubitanter offerens, perpetuò, & per omnem ætatem decertauit. Atque hæc tam ampla, tam magnifica, tam nostris moribus consentanea esse ducitis, vt maiores nostros, eos, qui hæc gesserunt, maximis laudibus efferre soleatis: neque iniuria. Quis enim virtutem illorum virorum non admiretur, qui & patriæ solum, & vrbem relinquere non dubitarunt, nauésque conscenderunt, ne imperio parérent, imperatúmque facerent? Themistoclem, huius consilij auctorem, huiúsq; sententię principem atq; auctoré, imperatorem delegerunt? eum verò, qui barbarorum legibus, imperióque parendum censuerat, Cyrsilum lapidibus obruerunt? neque eum solum sic vlti sunt viri, sed etiam illorum vxores de eius vxore easdem pœnas sumserunt? Non enim quærebant ij, qui tum viuebant, Athenienses, maiores vestri, neque rhetorem, neque imperatorem, propter quem feliciter seruirent: immo verò, ne causam quidem esse, cur viuere vellent, iudicabant, nisi sibi cum libertate viuere liceret. Existimabat enim quisque eorum se non solùm patri & matri, sed etiam patriæ natum esse. Quæret aliquis quid intersit. Quòd is, qui arbitratur se parentibus solùm natum esse, mortem, quam vel fatum, vel casus afferat, exspectat: qui verò etiam patriæ se natum putat, ne eam seruire videat, æquo animo excedit è vita: & contumelias, atque ignominias, quas in vrbe subacta, superbissimóque dominatu oppressa, ac seruiente perferre necesse est, morte horribiliores esse ducit. Itaque si hoc conarer, aut inciperem dicere, me vobis auctorem fuisse, vt spiritus vestris maioribus dignos sumeretis, nemo profectò est, qui me iure reprehendat. Nunc verò, & semper antea talia vestra consilia atque instituta fuisse asseuero, & antequàm natus essem, hos fuisse spiritus ac sensus ciuitatis ostendo: me autem pro mea virili parte singularum

rerum gerendarum administrum atque adiutorem fuisse dico. At iste dum summam rem insectatur ac reprehendit, vósque cohortatur, vt mihi inimici infestíque sitis, proinde acsi timoris & periculorum causa fuerim ciuitati, cùm in præsens laudis & honoris fructu me priuare cupit, tum in omne reliquum tempus vestrarum virtutum laudationes & præconia vobis eripere conatur. Si enim Ctesiphontem damnabitis, quasi rep. à me non optimè gesta: non fortunæ culpa & iniquitate calamitatem, quæ vobis áccidit, accepisse, sed deliquisse videbimini. At nihil deliquistis, Athenienses, nihil peccastis, cum pro omnium Græcorum libertate ac salute periculum adijstis: non, inquam, peccastis, per maiores nostros iuro & eos, qui in Marathone sese in discrimen obtulerunt, & eos, qui ad Platæas acie instructa conflixerunt, & eos, qui ad Salaminam, & ad Artemisiũ prœlio nauali decertarunt, multósque alios, qui in monumentis publicis conditi sunt, viros forteis: quos omneis peræquè ciuitas singularibus affectos honoribus, sepeliuit, non eos solos, AEschina, qui rem bene gesserant: neque eos solos, qui vicerãt: & meritò. Nam quod fuit fortium virorum, id omnes re præstiterunt: fortuna autem vsi sunt ea, quam cuique dij immortales tribuerũt. Et hoc loco, ò cœnum, ò scribarum omnium postreme, dum studes efficere, ne me hi merito honore afficiãt, néue se humanos ac liberaleis erga me præbeant, tropæa, & pugnas, & antiqua maiorum nostrorum facinora commemorabas. quorum omnium, quæso, quidnam hæc causa desiderabat? me verò, ò histrionum omniũ deterrime, qui in publicum prodibam ciuitati suasurus, auctórque futurus, vt de principatu contenderet, cuius hominis mente suscepta, cuius spiritu sumto, cuius induta persona, in concionem ascendere oportebat? an eius, qui his indigna diceret? Tum verò iure optimo interfectus essem. Præterea non eodem animo, eadémue mente, priuata iudicia, atque publicas quæstiones exercere debetis. Sed cùm de ho-

hominum contractibus, qui in vita quotidiana versantur, disceptatis, vos priuatas leges, hominúmque actiones, & facta spectare cónuenit: cùm de communibus ac publicis populi Atheniensis consilijs atque institutis iudicatis, maiorum nostrorum gloriam ac dignitatem vos oportet intueri, & cogitare: vnà cum virga & insigni iudiciali vnumquemque vestrûm sumere speciem ac spiritum ciuitatis, vbi de rebus ad reip. statum pertinentibus cõueneritis iudicaturi, siquidem res illis dignas vos agere oportere existimatis. Sed ad eas res, quę à maioribus vestris gestæ sunt, studio prouectus, nonnulla decreta, actáque præterij. Ad ea igitur, vnde degressus sum, reuertor. Vt Thebas peruenimus, ibi Philippi, & Thessalorum, & aliorum sociorum legatos offendimus: nostros amicos metu perterritos, tristeis ac demissos: illius alacreis, lætos ac feroceis. Atque vt intelligatis, me hæc neque mei temporis, neque commodi causa dicere: eam mihi epistolam recita, quam tum nos legati statim misimus. Atquî vsque eò iste calumniando progressus est, vt siquid bene, & è rep. gestum sit, non mihi, sed temporibus ascribendum atque assignandum dicat: aliarum autem rerum omnium, quæ secus acciderunt, in me, atque in fortunam meam, culpam conferat. Atque, vt appâret, suasor & orator ego, nullius earum rerum, quæ oratione, & consilio actæ sunt, adiutor ei fuisse videor: earum, quæ in acie, & castris, & imperio minus feliciter gestæ sunt, solus auctor, & causa fuisse reperior. Ecquis immanior, ecquis omni exsecratione dignior sycophanta fingi potest? Recita epistolam. EPISTOLA. Contione igitur aduocata, Thebani legatos Philippi priores intro duxerunt, propterea quòd illi sociorum locum apud eos obtinebant. Producti itaque contionabantur, ac Philippum quidem multis laudibus in cælum ferebant: vos autem multis nominibus vituperabant, & accusabant, omnium, quæcunque vos vmquam aduersus Thebanos fecistis, memoriam refricantes: quorum hæc summa fuit:

AEquum esse illos pro maximis Philippi in eos beneficijs sibi gratiam referre: earum verò iniuriarum, quas à vobis accepissent, pœnas vtrocunque modo vellent, expetere aut per eorū fineis aditu sibi patefacto & transitu concesso, aut bello communiter, & coniunctis copijs in Atticam inferendo. Ad extremum ostendebant (vt sibi quidem videbantur) ex ijs, quæ suaderent, pecora, mancipia, aliáque, quibus abundat Attica, in Bœotiam peruentura: contrà ex ijs, quæ essemus dicturi, Bœotiæ fructus omneis & copias à bello direptum iri: multáque alia prȩterea dicebant: sed huc tamen omnis eorum spectabat oratio. Quæ autem contrà dixerimus, equidem tota re mea familiari, meisque facultatibus omnibus ȩstimarim, singillatim vobis exponere atque explicare licere. Sed vereor, ne vos, præteritis iam temporibus, existimantes eluuionem tum quandam rerum in Græcia accidisse, inanem & molestum verborum strepitum esse putetis, omnē eam, quæ his de rebus habeatur, orationem. Quæ igitur persuaserimus nos, & quȩ nobis illi respōderint, attendite. Recita. RESPONSIO THEBANORVM.
His igitur actis & transactis, illi vos arcessebant: vos educebatis exercitum, opémque ferebatis. Et, vt media prætermittam, illi vos ita familiariter & comiter acceperunt, vt absentibus suis grauis armaturæ militibus, & equitibus, exercitum vestrum in vrbem, & in suas domos reciperent, vbi erant liberi, vbi vxores, vbi caterȩ res carissimæ. Atqui treis illo die vestrûm laudationes Thebani pulcherrimas omnibus mortalibus ostenderunt: vnam fortitudinis, alteram iustitiæ, tertiam temperātiæ. Nam cùm vos pugnandi socios habere, quàm vobiscum pugnare maluerunt: duo de vobis præclara iudicia fecerunt. Nam & vos meliores esse Philippo, & vestra postulata Philippi postulatis æquiora iudicarunt: cùm autem ea, quæ cùm apud ipsos, tum apud omneis homines diligentissimè custodiri solent, liberos, & coniuges potestati vestræ permiserunt, fideique commiserunt, certissimam

mam

mam se de vobis temperantiæ opinionem habere declararunt. In quibus omnibus, Athenienses, quod ad vos attinet, eos rectè sensisse, res ipsæ comprobarunt. Nam neque ingresso in oppidum exercitu quisquam Thebanorum de vobis ne iniuria quidem questus est, ita vos ipsos temperanteis præbuistis: & cùm his coniunctis viribus, & copijs in prima acie stantes pugnaueritis, semel in eo prœlio, quod ad fluuium * commissum est: iterum in hiberno, quod nominatur: non modò reprehēsione iusta, crimineque caruistis, verùm etiam hominum summam admirationem excitastis, ornatu, apparatu, alacritate animi, & studio: propter quę laudes vobis ab alijs tributæ comparabantur: à nobis verò sacrificia, & supplicationes ad omnia deorum puluinaria constituebantur. Atque hoc loco libenter ab AEschina quæsierim, cùm hæc agerentur, cùm gloriæ, cùm lætitiæ, cùm laudum plena esset ciuitas, vtrùm vnà cum populo sacrificaret, & in communi omnium lætitia ipse quoque lætaretur: an tristis, & mæstus, & ingemiscens, & ægritudine confectus ob communem ciuitatis felicitatem domi sederet, aut etiam iaceret. Nam si aderat, si cū alijs comparebat, nónne importunus atque improbus, immò verò nónne impurus atque impius est, qui, quarum rerum tanquam optimarum ipse deos immortaleis testeis adhibuerit, eas à vobis, sanctissimo iureiurando obstrictis, postulet vt sententijs vestris non optimas iudicetis? si non aderat, nō dignus est, qui millies pereat, si ea, ex quibus alij maximam lætitiam capiebāt, sine summo animi dolore aspicere non poterat? Recita igitur hæc quoque populi scita. POPVLI SCITA SACRIFICIORVM.

Ergo nos quidem in sacrificijs eramus occupati: Thebani verò inibi erant, vt sese per nos salutem consecutos esse existimarent. res denique huc reciderant, vt, qui auxilium alienum ex istorum actionibus imploraturi ac desideraturi videbantur, ij ipsi alijs auxilium ferrent, ex ijs reb⁹, quas me auctore suscepistis. Quáleis porrò tunc

propter hæc ipſa voces mitteret Philippus, quibus in turbis verſaretur, quàm trepidaret, ex illius ad Pelopon neſum miſsis epiſtolis cognoſcetis: quas mihi recita, vt intelligatis, quid ego mea aſsiduitate, meis itineribus, meis curſibus, meis laboribus, multiſque decretis, quæ nũc iſte maledictis inſectabatur, profecerim. Atqui multi apud vos, Athenienſes, magni & clari ante me oratores extiterunt, Calliſtratus ille, Ariſtophon, Cephalus, Thraſybulus, ſexcenti alij: nemo ex his tamen vnquàm vlla in re, à principio vſque ad extremum ſeſe vtilem præbuit ciuitati. Sed ſi quis fortè ſcitum faceret, legationem non obibat: qui legationem obiret, populi ſcitum non faciebat. Sibi enim vnuſquiſque eorum quietis aliquid & laxamenti relinquebat, ſimulque ſi quid fortè accideret, transferendi in alium criminis locum ac facultatem reſeruabat. Quid ergo? dicet aliquis, túne tanto audacior, aut fortior es, quàm ceteri, vt ſolus omnia conficias ac tranſigas? Non equidem tantum mihi arrogo, vt hæc de me prædicem: verùm ita mihi perſuaſeram magno in diſcrimine verſari ciuitatem, vt mihi neque locum, neque ſpatium de priuatarũ rerum mearũ ſtabilitate cogitandi dare videretur: ſed præclarè nobiſcũ actum iri exiſtimarem, ſi quis nulla re neceſſaria prætermiſſa, negotia, quæ erant in manibus, ex ſententia explicare poſſet. Mihi autem in animum induxeram, ſtultè fortaſſe, ſed tamen induxeram, neminem neque qui decerneret, melius quàm me fuiſſe decreturum, neque qui ageret, commodius acturum, neque qui legationem obiret, ſtudio acriore, aut fide maiore legationem obiturum. Propter has cauſas mihi ipſe omneis reip. adminiſtrandæ parteis, omniáque munera depoſcebam. Recita epiſtolas Philippi. EPISTOLAE PHILIPPI. Huc redegit Philippum mea reip. gerendæ ratio, AEſchina: hanc illum vocem mittere coëgi, eum, qui antea voces feroceis, voces audaciæ & confidentiæ plenas in ciuitatem iaciebat. Pro quibus ego ab his meritò corona donabar:

neque

neque tu cùm adesses,contrà dicebas. Et qui me accusauit Diondas,quintam tabellarum partem non obtinuit. Ac mihi hæc populi scita recita,quę tum sententijs iudicum absoluta,ab hoc ne in iudiciũ quidem vocata sunt.

POPVLI SCITA. Hæc populi scita, Athenienses, ijsdem syllabis,ijsdémque verbis perscripta sunt,quibus ea,quæ antè Aristonicus, nunc iste Ctesiphon scripsit. Atque hæc AEschines neque ipse iudicio persecutus est,neque ei, qui in iudicium adduxisset, subscriptor vllus extitit. Atqui Demomelem, & Hyperidem, qui hæc decernebãt, siquidem me nunc iste veris criminibus arcesseret, iustius ac probabilius accusaret, quàm Ctesiphontem. Quid ita?quia huic licet recusare,seséque rebus iudicatis tegere ac tueri, & his exceptionibus vti, istum ipsum illos reos non fecisse,qui eadem,quę hic nũc scripsit,scripserunt,& leges non amplius sinere de rebus ita transactis in iudicium quenquã vocare: multáq; alia dicere potest. Ac tũc quidem res ipsa per se perpẽderetur,& disceptaretur,priusquàm quicquam horum antecessisset,priusquam vllum præiudicium factũ esset. Verum tunc non poterat,opinor, quod nunc facit, ab vltimis temporibus, & ex multis decretis ea ad calumniandum excerpere,quæ neq; quisquam antea nouerat,neq; hodie recitatum iri suspicatus esset:non poterat inuerso ac perturbato temporum ordine, falsis rerum anteactarum causis prolatis, verísque dissimulatis ac celatis aliquid dicere videri:tunc, inquam, hæc non poterat: sed ipsa veritate propter adstante,& præsente:recenti etiam apud vos omnium rerum memoria,vobis denique pæne manu vnam quamque rem tractantibus ac tenentibus omnis haberetur oratio. Itaque his argumentationibus ac probationibus declinatis ac vitatis, quæ è rebus ipsis duci poterant,nunc denique venit,existimans vos certamen aliquod oratorum propolituros (vt mihi quidem videtur)non rerum publicè gestarum disceptationem facturos:& iudicium de verbis,non de vtilitate reip. futu-

rum. Deinde grauis auctor sapiẽtium orationem imitatur & sententias loquitur: aitque oportere vos eam de nobis opinionem, quam huc domo detulistis, negligere, ac pro nihilo putare. Nam quemadmodum (inquit) cùm rationes cum aliquo subducitis, aliqua esse apud eum reliqua existimantes, si accepta expensis quadrarint, si calculi sint puri & puti, nihilque sit réliqui, manus datis & conceditis: sic & vos nunc ijs, quæ vtriusque oratione demonstrata & plana facta fuerunt, cónuenit assentire. Videte, obsecro, quàm imbecillum, & fragile sit natura, vt par est, quicquid iniustè sit actum, atq; ab iniuria profẽctum. Namque hac ipsa similitudine, tam acuta, támq; erudita, vos iam nunc statuisse confitetur, me meis orationibus consulere patriæ, se suis Philippo. Non enim vos de hac sentẽtia demouere conaretur, nisi talis esset, eáque inueterata, vestra de vtroq; nostrûm existimatio. At ego vos iam facile docebo, eius orationem, qua ex animis vestris hanc de nobis opinionem euellere conatur, vehementer esse iniustam, non adhibitis calculis (non enim ita rerum subducuntur rationes) sed primùm singularũ actionum memoria breuiter à vobis repetita: deinde vobis, qui auditis, rationum iudicibus sumtis, simul & testibus productis. Mea enim reip. administratione, quam iste reprehendit, effectum est, vt pro eo vt Thebani vnà cum Philippo in fineis nostros inuaderẽt, quod omnes futurum existimabant, illi coniunctis nobiscum copijs, vnáque in acie stantes illum prohiberent: pro eo vt bellum in Attica versaretur, octoginta circiter millia passuum longè ab vrbe in Bœotorum finibus gereretur: pro eo vt prædones ex Eubœa profecti vestros agros popularẽtur, diriperent ac vastarent: pace maritima per omne belli tempus frueremini: pro eo vt Philipp' Hellespontum teneret Byzantio occupato, societate coniuncti vobiscum Byzantij, bellum ei inferrent. Ecquid tibi videtur, AEschina, ea, quæ de rebus gestis initur, ratio, calculorum similis esse? aut tu has contrario iudicio delere

lere,ac de medio tollere putas oportere,& non quomodo earum memoria posteris prodatur sempiterna, videre?Mitto quòd crudelitatem,quam ijs in rebus animaduertere potuistis, in quibus potestatem in aliquos nactus est Philippus,alij experti sunt,ac pertulerunt: humanitatis autem ac mansuetudinis, quam ille cùm cetera concupisceret, atq; amplecteretur, vobis simulatè ostentabat,fructus vos merito vestro percepistis:hæc, inquam, missa facio. verumtamen audebo hoc dicere, eum, qui in oratorem & contionatorem verè ac iustè velit anquirere,neque illum calumniari:ea, quæ tu modò commemorabas, non esse crimini daturum, atque obiecturum, exempla fingentem,verba irridentem,habitum,gestúmque loquentis imitantem: (in hoc enim positæ sunt fortunę Gręciæ,scilicet, vtrùm hoc,an illud verbū in oratione posuerim:huc an illuc manum porrexerim)sed ab rebus ipsis longius non discedentem,spectaturum quas facultates,quas copias tum haberet ciuitas,cùm ad remp. accessi: quas ego ei postea, cùm rebus gerendis præessem,compararim:quo loco essent res aduersariorum,& quomodo sese haberent: deinde siquidem copias reip. imminuissem,deterioréſque fecissem: meum crimen esse ostenderes:sin auxissem, non calumniareris. Quoniā igitur tu hoc tibi faciendum esse nō putasti: ego faciam: vos,vtrùm vera ac iusta fuerit mea oratio,nécne,iudicabitis. Erant igitur hæ vires & copiæ ciuitatis: insulareis non omneis habebamus (nam neque Chius, neq; Rhodus, neque Corcyra nobiscum faciebant) vectigal erat in singulas ciuitates descriptum circiter quater millies centies: atque hæc pecunia iam erat redacta: grauis armaturæ militem, aut equitem, præterquàm nostrum, & vrbanum habebamus neminem. Et quod erat & nobis omnium formidolosissimum, & hostibus vtilissimum, perfecerant isti,vt omnes finitimi, Megarenses,Thebani,Euboei in odium, quàm in amicitiam nostram proniores ac propēsiores essent.Res igitur nostræ ciuitatis hoc

erant loco, neq; quicquam aliud est præterea, quod dicere quisquā posſit. Philippi verò, cum quo nobis erat certamen, rationes quales essent, & quomodo sese haberent, videte. Primùm in eos, qui eum sequebantur, imperium habebat, & quod omnium est maximum, earum rerum, quæ ad bellum pertinent, penes eum summa potestas erat: deinde hi numquam ponebant arma de manibus: deinde pecunia abundabat: tum quę ipsi visa essent, agebat: neque verò decretis propositis quid vellet, denuntiabat, aut prædicebat, neq; palàm deliberabat, neque à calumniatoribus in iudicium vocabatur, neq; de decretis contra leges factis accusabatur, neq; cuiquam mortalium iudicio de rationibus referendis tenebatur: sed planè (vt semel dicam) solus erat ipse dominus, solus dux, solus imperator: denique omnia in vnius potestate vertebantur. Ego autem cum hoc ad certandum compositus (nam hoc perpendendum & considerandum est) cuiúsnam rei potestatem habebam? nullius. Nam primùm hoc ipsum contionari, cuius solius eram compos, seu potius particeps, in medio erat positum, & mihi commune cum ijs, qui ab illo mercedem accipiebant: & quibuscunque in rebus ego ab istis victus essem (multa autem accidebant huiusmodi, aliud alijs de causis, quascunq; fors tulisset) his ex vsu hostium deliberatis & consultis discedebatis. Verumtamen ego tot rebus inferior, tot incommodis ac difficultatibus affectus, socios vobis Euboeos, Achæos, Corinthios, Thebanos, Megarenseis, Leucadios, Corcyrenseis asciui & comparaui. ex quibus externorum militum quindecim millia, equitum duo millia extra vrbanas copias coëgistis. pecuniam autem tātam à socijs conferendam descripsi, quantam potui maximam. Quòd si iura nostra cum Thebanorum iuribus comparas AEschina, aut cū Byzantiorū, aut cum Euboeorum, aut si de rata & ęquabili parte nunc disputas: primùm videris ignorare, cùm & antea trecentæ triremes essent illæ, quæ pro Græcis decertarunt, earum ducentas ciuitatem

tem nostram prębuisse: neque tunc eam quisquam sic affectam vidit, vt aut se idcirco deteriore condicione esse, damnóque affici putaret: aut eos, qui hoc consilij dedissent, in iudicium vocaret, aut hæc grauiter, molestéque ferret: (turpe enim, mehercule, turpe) sed dijs immortalibus gratiam haberet, si Græcis in commune discrimen adductis, ipsa duplo plus quàm, alij ad omnium salutem contulisset. deinde inanem ac falsam horum gratiam aucuparis, cùm me calumniaris. quid enim nunc ea commemoras, quæ facere oportebat, ac non tum cùm in vrbe esses, & cùm rebus omnibus interesses, hæc decernebas, si licebat per illa tempora: in quibus non quod vellemus, sed quod res ipsæ darent ac ferrent, æquo animo accipere oportebat? Nam paratus erat, qui cōtrà liceretur & emeret: qui eos, quos expulissemus, exciperet: qui pecuniam adderet. Sed si nunc propter illa, quæ sic à me gesta sunt, accusor, quid futurum fuisse censetis, si, cùm ego hæc subtiliter & exiguè ad calculos reuocarem, ciuitates illæ à vobis desciuissent, & sese cum Philippo cōiunxissent, & vno tempore Eubœæ, Thebarum, Byzantij compos factus esset Philippus? quid, inquam, impios istos homines fuisse facturos, aut dicturos putatis? Non, illos esse traditos? non, spretos ac reiectos, cùm societate nobiscū cōiungi cuperēt? nō Philippū Hellesponto per Byzantios esse potitum? cōmeatus, & frumenti, quod ad Græcos supportabatur, dominū esse factum? bellū finitimum, & graue per Thebanos in Atticam inuectum? mare latrocinijs infestum esse factū, & propter prædonum ex Eubœa eruptiones, mercatoribus esse clausum? nónne hæc, & alia multa præterea dicerent? Improba, Athenienses, improba res est omni tempore calumniator, & vndique inuido dente petens, vndiq; criminandi ansam arripiēs. Talis autem est homunculus iste, seu potius bellua natura: qui nihil vnquam à prima ætate sinceri, nihil recti, nihil libero aut ingenuo dignum fecit: simia planè tragica, rusticus Oenomaus, adulterinus orator. Quid

enim tua dicendi facultas patriam iuuit? quid ex tua eloquentia ad ciuitatem vtilitatis peruênit? nunc denique nobis de præteritis verba facis: vt siquis medicus ægris, interea dum ægrotent, domum ingressus, non exponat, neque afferat rationes, quibus morbũ depellere, & conualescere queant: posteaquàm aliquis ex eis excesserit è vita, quo tempore ei parentetur, iustáque funeris soluãtur, sequatur ipse, & ad sepulcrum veniat: & tum deniq; pluribus verbis disputet, hominem istum si hoc, & illud fecisset, moriturũ non fuisse. Et ô fanatice, nunc demum dicis? Iam verò ne cladem quidem illam, quam nostra ciuitas accepit, quando tibi hæc animos attollit, propter quam te dolore affici atque ingemiscere, ô scelus, oportebat, in ijs, quæ in mea potestate sita fuerũt, fuisse reperietis: quod facite, vt sic mecum consideretis. Quocunque ego legatus à vobis missus sum, nusquam à Philippi legatis victus discessi: non ex Thessalia, non ex Ambracia, non ex Illyrico, non à Thraciæ regibus, non Byzantio, non vllo alio ex loco, non postremò nuper Thebis: sed quibus in rebus eius legati à me victi fuerant verbo, has ille armis, & impetu facto subigebat. Hæc igitur à me repetis, & flagitas? neq; te pudet ab eo, in quem ob mollitiem dicta dixeris, postulare, vt vnus omneis Philippi copias superaret, idque verbis? quid enim aliud in mea potestate positũ erat? non enim anima, non fortuna cuiusquam eorum, qui in acie steterant, non imperatoris partes, cuius tu rationes à me repetis: ita stolidus es & vecors. At quorum rationem lege referre debet orator, de ijs quo minus in me acerrime anquiras, non recuso. Quæ'nam sunt hęc? principia rerum cernere, futura multo antè videre ac præsentire, eáque alijs prædicere. Hæc mea sunt: hæc ego gessi. Quid tum præterea? populorum tarditatẽ, moram, cunctationẽ, desidiam, ignorantiam, inscientiam, contentiones, quæ ciuitatibus omnibus vitia & peccata sunt vsitata, insita, ac necessaria, hæc coërcere & comprimere: & contrà, discordiam sedare, cõcor-

diámque

diámque constituere, amicitiam confirmare, ad studium agendi, quæ reip. tempora postulant, cohortari & excitare: hæc omnia à me facta sunt: neque mortalium quisquam est, qui, quantum in me fuit, aliquid à me prætermissum reperire posſit. Siquis igitur quemuis roget, quibus rebus magnam partem eorum, quę gesſit Philippus, administrauerit, respondebunt omnes castris, exercitu, largitione, corrumpendis ijs, qui in singulis Græciæ vrbibus rebus gerendis erant præfecti. Atqui neque exercitum in mea potestate habebam, neque dux exercitus eram. Quare neq; eæ res, quæ castris, & ferro gestæ sunt, ad me pertinent, neq; earum rerum rationes referre debeo. At hoc certe Philippo superior fui, quòd me ab eo pecunia corrumpi non sum passus. Nam vt is, qui licetur, si emerit, vicit eum, qui pretium accepit: sic qui nec accepit, nec corruptus est, licitatorem vicit. Ita quod ad me attinet, ciuitas manet inuicta. Hæc igitur sunt, & his similia, vt alia multa prætercam, quę ego præstiti, quamobrem hic talia de me scribere merito ac iure posset. Verùm quæ vobis omnibus nota sunt, hæc iam commemorare mihi non videtur alienum. Statim post pugnam populus, qui sciret, ac vidisset quot ego res, quantasq́; gesſisſem, dum per terrores ipsos, ac per discrimina omnia medius incedo, quo tempore mirum nemini esse deberet, si offensa multitudo, se mihi iniquiorem atque infestiorem præbuisset: eo ipso tempore primùm meas de salute ciuitatis sententias suo suffragio comprobabat, & omnia quæcunque communis custodiæ causa agebantur, dilectus militum, præsidij distributio, fossæ, pecuniæ ad murorum refectionem, & munitionem vrbis erogatio, hæc me auctore fiebant. deinde cùm rei frumentariæ curatorem, publicúmque frumēti emtorem crearet, mihi vni hanc procurationem ac potestatem suffragio suo detulit: postremò cùm coissent, & cōspirassent inter se ij, qui in hanc curam incumbebant, vt mihi negotium facesserent, ac nocerent, cùm me de decretis cōtra leges

factis reum faciebant, cùm mihi iudicia rationum referendarum,& perduellionis, & maiestatis denuntiabant: cùm hæc omnia mihi intentabāt, non per se illi quidem initiò, sed per quos maximè suas in me insidias occultas fore putabant: (scitis enim & meministis scilicet me primis illis temporibus in iudicium quotidie vocari, neque audaciam atque amentiam Sosiclis, neque Polycratis calumniam, neque Diondæ, & Melani insaniam, neque aliud quicquam ab istis esse contra me inexpertum relictum) ex his igitur omnibus periculis maximè deorũ immortalium benignitate, secundo loco, vestro & aliorum omnium Atheniensium beneficio integer & incolumis seruatus sum: neq; iniuria. hoc enim & verum est, & cùm iuratis iudicibus, tum ijs, qui religiosè iudicarunt, honestum & gloriosum. Cùm igitur, me perduellionis accusatum omnibus sententijs absoluebatis, ita vt ne quintam quidem tabellarum partem accusatores mei obtinerēt, tum statuebatis, me res optimas, & reip. perutileis agere. cùm de decretis contra leges factis reum factum, absoluistis, declarastis omnia me legitimè & dicere, & decernere solere. cùm rationes meas comprobabatis atque obsignabatis, omnia me sine pretio ac mercede, integrè & incorruptè gessisse fatebamini. Cùm hæc igitur ita se habeant, quod nomen rebus meis gestis Ctesiphontem imponere æquum & verum erat, aut conueniebat? non id ipsum, quod à populo impositum esse videbat? non quod à iuratis iudicibus tributum, non quod ab ipsa veritate apud omneis homines comprobatum? Certe (inquit) sed illud Cephali præclarum, nullo vnquam eum iudicio causam dixisse. Et mehercule fortunatum. Sed num idcirco is, qui sæpe in iudicium vocatus, nunquam vllius criminis conuictus sit, meritò in culpa ponatur? Atqui quod ad istum quidem attinet, Athenienses, illud Cephali præclarum verè mihi de memetipso prædicare licet. Nunquam enim me AEschines vlla lege accusauit, nunquam vllo iudicio reũ fecit. Itaque tua quidem confessione

feſsione nihilo Cephalo deterior ciuis ſum ego. Cùm multis igitur ex rebus quis iniquitatem iſtius,& ſingularem inuidiæ coniunctam calumniam perſpexerit, tum ex ijs maximè, quæ de fortuna diſputauit. Omnino quiſquis homini cùm ipſe homo ſit, fortunã exprobrat, ego eum ſtolidum prorſus & mente captum eſſe puto. Nam cùm is, qui ſibi ipſe videtur eſſe fortunatiſsimus, quiq́ue ſe fortuna maximè propitia, & perbenigna vti arbitratur, exploratum non habeat, eam, talem vſque ad veſperum eſſe permanſuram, aut de hac dicere, & gloriari, aut eam alteri maledicti loco obijcere, ſummæ dementiæ eſt. Verùm quoniam præter alia multa, quę ſibi iſte arrogauit, etiam his de rebus orationem habuit inſolentiæ atque intolerantiæ plenam, videte, quæſo, Athenienſes, & vobiſcũ ipſi conſiderate, quanto ego verius iſto, quan tóque modeſtius atque humanius de fortuna diſputem. Ego fortunam ciuitatis bonam, ſecundam, ac propitiam eſſe arbitror: atque hoc video & Iouem Dodonæum, & Apollinem Pythium vobis vaticinatum eſſe: omnium verò hominum, eam quidem, quę nunc vrget, aduerſam, iniquam, atque acerbam. Nam quis Græcorum, aut quis barbarorum hoc tempore non multa incommoda, graueíſque caſus expertus eſt? Quòd igitur honeſtiſsima & præclariſsima voluerimus, eáq; ipſa nobis ad agendum propoſuerimus, &, quòd, cùm Græci ſperauiſſent, ſe, ſi nos deſeruiſſent, ac prodidiſſent, beatè victuros, melius, quàm cum eis, nobiſcum agatur, hoc bonæ fortunæ noſtræ ciuitatis acceptum fero: quòd nos titubauerimus atque offenderimus, neque omnia nobis ex animi noſtri ſententia proceſſerint, in eo aliorum hominum fortunam pro rata parte ſuo iure in ciuitatem noſtram vſam eſſe exiſtimo. Fortunã autem meam, & cuiuſque veſtrûm propriam in priuatis rebus expendendam & conſiderandam eſſe duco. Ego igitur ſic de fortuna quærendum eſſe cenſeo, rectè ſanè & iuſtè, mea quidem ſentẽtia: quod, idem vobis videri puto. Iſte autem fortunam meam pri-

uatam, maiorem dominatum habere, quàm publicam & communem ciuitatis ait: humilem, aduersam, atque afflictam plus posse, quàm magnam, secundam, ac florentem. quomodo hoc fieri potest? Atquí si meam fortunã, AEschina, perpendere, & omnibus spectandam proponere, constitutum in animo habes, confer eam cum tua: &, si meam compereris esse tua meliorem, eam desinito maledictis insectari. Iam mihi igitur vsque à principio eam cõtemplare. Sed ne me quisquam, per deos immortaleis, ineptum esse iudicet. Nam neq; siquis vllius paupertatem contumeliosè vexat atque exagitat, neque siquis in multa copia, rerúmq; omniũ affluentia natus atque educatus hoc nomine gloriatur, eum sanæ mentis esse puto. Verùm ego istius sæui atque importuni hominis maledicẽtia & calumnijs compulsus, in hanc orationem incidere cogor: cui tamen ita moderabor, vt natura rerum, de quibus agitur, feret, & quoad eius maximè fieri poterit. Contigit igitur mihi cùm puer essem, vt ad ludos discendi illi ætati accommodatos, atque vsitatos frequens irem, eáque mihi suppeterent, quibus instructum eum esse oportet, qui nihil sit inopia coactus turpiter facturus: posteaquàm verò è pueris excessi, vt his cõsentanea agerem, meis sumtibus ludos facerem, trierarchus essem, pecuniam in ciuitatem conferrem, nullam neque priuatam, neque publicam liberalitatem ac munificentiam prætermitterem: sed me & ciuitati publicè, & amicis priuatim vtilem præberem. Pòstquàm autem ad remp. accessi, visum est mihi talem reip. administrandæ rationem sequi, vt sæpenumero & à patria mea, & à reliquis Græcis corona donatus sim, vt ne vos quidem inimici mei sitis vnquam dicere conati, consilia, & instituta mea non fuisse honesta atque præclara. Talis igitur mihi perpetua meę vitæ comes fortuna contigit. Nam cùm alia multa de hac possim dicere, sciens prætermitto: veritus ne cuiusquam animum his rebus offendam, quibus glorior. Tu verò vir amplus & grauis, qui ceteros despicis,

cis, vide quali tandem ad hanc meam fortuna ſis vſus: propter quam puer magna in egeſtate educatus es: cùm vnà cum patre ludo litterarum affixus eſſes, illíque aſsideres, atramentum tereres, ſcamna ſpongijs purgares, gymnaſium puerile verreres, vernæ, non pueri ingenui parteis ageres. ſumta autem virili toga, matri initianti libros recitabas, vocéque præibas: & reliqua, quæ ad munus illud pertinent, concinnabas, & comparabas: noctu eos, qui initiabantur, ceruina pelle ſuccingebas, vaſa vinaria circumferebas, vinúmque miniſtrabas, ac defundebas: illos expiabas, centonibus & furfure defricabas ac detergebas. Expiatione autem facta ſurgebas, eoſque dicere iubebas. EFFVGI MALA, NACTVS SVM MELIORA: gloriabare denique quòd nunquàm quiſquam tam clara voce vlulaſſet. Quod quidem ita eſſe arbitror. Nolite enim exiſtimare, eum, qui tam clarè loquatur, vlulatus non clariſsimos edere. Interdiu verò præclaros illos bacchantim choros per vias agitabas: angueis, quos Parias nominant, fœniculo, & populeïs frondibus coronatos comprimebas, & ſupra caput attollebas: & cùm clamares, Euoë Saboë, & carmen illud ſaltares, Hyas Attas, Attas Hyas, ab aniculis præſultor & princeps chori, thyrſiger, ederifer, vannifer, & huiuſmodi nominibus appellabaris. Atque huius quidem operæ ac miniſterij egregiam ſanè mercedem ferebas, lagana, fruſtula, ſcriblitas, liba, placentas. Quibus rebus quis non eum verè beatum iudicet? quis non eius fortunam omnium regum copijs & voluptatibus anteponat? Poſteaquàm autem in popularium, ciuiúmque numerum adſcriptus es: quoquo id modo aſſecutus ſis: (nam hoc omitto dicere) verùm poſtquàm adſcriptus es, ſtatim munus pulcherrimum ſuſcepiſti, vt infimis magiſtratibus ſubſeruires, & ſecundarum partium ſcriba eſſes. Deinde vt hoc tandem munere defunctus es, ea omnia, quæ alijs maledicti loco obijcis, facere inſtituiſti. Itaque nihil eorum, mehercule, quæ tibi tua virtute parta ſuppetebant, po-

ſteriore vita dedecoraſti. Sed cùm teipſum hiſtrionibus illis, qui cognomen ex grauitate vocis, & gemitus conſecuti, baryſtoni nominantur, Simmycæ, & Socrati mercede locauiſſes, tertiarũ partium actor eras: ficus, vuas, oliuas, tanquam pomorum redemtor, ex alienis fundis decerpebas & colligebas: cùm quidem tu plura in his vulnera, quàm in eis certaminibus, in quibus vos de vita decernebatis, acciperes. Erat enim vobis cum ſpectatoribus bellum implacabile, & ſine vlla denuntiatione ſuſceptum, à quibus cùm multa vulnera acceperis, meritò in eos, qui in talibus periculis non ſunt exercitati, ac verſati, tanquam timidos dicta dicis. Sed prætermiſsis ijs, quorum culpam quiuis in paupertatem cõferre poſſit, ad ea crimina veniã, quæ propriè in mores tuos quadrant. Talem enim reip. adminiſtrandæ rationem ſecutus es, poſteaquàm tibi tandem remp. adminiſtrare venit in mentem, vt in rebus ſecundis ciuitatis, léporis vitam viueres, omnia circumſpectares, quicquid increpuiſſet, pertimeſceres, horreres, tremeres, plágas & verbera ob ea, quorum tibi conſcius eras, flagitia & ſcelera, ſemper exſpectares: in aliorum ciuium caſibus aduerſis, audax, ferox, & alacer ab omnibus cernereris. Atquî per deos immortaleis, qui mille ciueis interfectos lætè atq; inſolẽter tulit, quibus pœnis ab ijs, qui viuunt, affici debet? Cùm multa igitur alia habeam, quæ de iſto dicere poſsim, præteribo. Non enim quæcunque probra ac dedecora in iſto ineſſe poſſum oſtendere, puto me facilè proferre debere: ſed ea demum, quæ mihi turpia dictu non ſunt. Quare, AEſchina, primùm vtriuſque noſtrûm vitam, & quæ ab vtroque in ea inſtituta & acta ſunt, inter ſe contendito leniter & clementer, non aſperè neque acerbè: deinde ex his quærito, vtrius ſibi quiſque fortunam dari malit. Tu litteras docebas: ego in ludum frequens veniebam: tu initiabas, ego initiabar: tu cum choro ſaltabas, ego chori, & ludorum ſumtum ſuppeditabam: tu ſcribæ munere fungebaris, ego contionabar: tu

tertia-

tertiarum partium histrio in scenam prodibas, ego ludos spectabam: te vox deficiebat, ego exsibilabam: tu in rep. administranda hostibus consuluisti, ego patriæ. mitto cetera. nunc quidem hodie, propterea quòd corona donatus sum, vita mea in iudicio spectatur, & explicatur: omnium autem voce & confessione nulla in re iniusté rẽp. læsisse declaror: tu autem cùm hoc assecutus es, vt calumniator habearis, tum in discrimẽ venisti, vtrùm te amplius calumniari homines innocenteis oporteat, an desinere, & coërceri, ne quintam quidem tabellarum partem à iudicibus consecutum. Iámne vides, AEschina, quàm propitia & secunda per omnem vitam fortuna vsus, meam tanquam iratam atque aduersam crimineris? Age verò liceat mihi publicorum munerũ, quæ ego cumulatè & prolixè obij, quibúsque amplissimè & magnificentissimè functus sum, testimonia recitare. tu verò contrà versus nobis recita, quos tu malè agendo inuertebas ac deprauabas.

Orci relicta ianua, & latebra inferûm. &

Mala scito non volentem nuntiare me. At te omnium hominum profligatissime ac perditissime, primùm dij immortales, deinde hi omnes male perdant, malum ciuem, patriæque proditorem, malúmque tertiarum partium histrionem. Recita testimonia. TESTIMONIA.

In ijs igitur, quæ ad ciuitatem pertinent, talis extiti. In priuatis autem, si nescitis me commodum, liberalem, & humanum, atque in egenteis munificum fuisse, non est quòd quicquam ipse de me dicam, neque vnquam adducar, vt vllum vobis hac de re testimonium afferam: non si quos ab hostibus redemi, non si aliquorum filias in matrimonium collocaui, non quicquam horum tale. Namque hæc mea sententia est: eum qui beneficium acceperit, omni tempore beneficiũ memoria tenere oportere existimo: eum uerò, qui dederit, de memoria statim deponere, si modo vult ille viri boni, hic non illiberalis, neque ieiuni hominis officio fungi: sua certè beneficia

commemorare & prædicare, propemodum exprobrare est. Quare nihil ſum tale facturus, neque vllius vnquam oratione, aut maledicto ad hoc faciendum adducar. ſed qualiſcunque hominum in his rebus de me opinio eſt, ea mihi ſatis eſt. Volo autem fine mihi facto de rebus domeſticis ac priuatis dicendi, de forẽſibus ac publicis pauca etiam quædam apud vos explicare. Siquem igitur mortalium, quos hic ſol videt, AEſchina, proferre potes, ſiue Græcorum, ſiue barbarorum, qui integer, intactus, atque incolumis antea à Philippi, nunc ab Alexandri dominatu diſceſſerit: ſit ita ſanè, do tibi & concedo, meam ſiue fortunam, ſiue infelicitatem nominare voles, omnium malorum publicorum cauſam fuiſſe: ſin & eorum multi, qui neque me vnquam viderunt, neque vnquam vocem meam audierunt, multis & grauibus incõmodis affecti ſunt, non ſolùm ſingulares homines, ſed & totæ ciuitates, & nationes: quanto verius & æquius eſt, communem omnium hominum (vt credibile eſt) fortunam, & ſæuam quandam rerum tempeſtatem ac procellam reip. infeſtam ac pernicioſam, horum cauſam fuiſſe exiſtimare? At tu his omiſsis me, qui apud hos remp. gero, criminaris, idque cùm ſcias ſi non totam, at certè ratam partẽ tui criminis ac maledicti cùm ad omneis, tum ad te maximè redundare. Nam ſi cùm penes me ſumma rerum poteſtas eſſet, ego per me de rebus conſulerem ac ſtatuerem: poſſetis vos alij oratores ea, quæ acciderunt, mihi crimini dare: ſin vos ſemper in omnibus concionibus aderatis, ſi ciuitas communiter omnibus ad deliberandũ quid expediret, proponebat: & hæc cùm omnibus optima videbantur, tum maximè tibi: (non enim beneuolentia adductus, ſpem præmiorum, laudem, honorem, quę omnia inerant in ijs, quę tunc à me gerebantur, mihi concedebas, ſed partim ſcilicet veritate victus, partim quia nihil melius, quod diceres, haberes) non tu iniuſtè facis? non tu importunus & improbus es, qui ea nunc reprehendas, quibus tum afferre meliora non poteras?

teras? Equidem apud omneis alios homines hæc quodammodo video iura esse definita, atq; aptè descripta. Facit aliquis iniuriam prudens? iratæ leges, infesti iudices, pœnæ in eum constitutæ. Peccauit aliquis imprudẽs & inuitus? huic venia datur, non supplicium quæritur. Neque iniuriam fecit alius, neque peccauit: sed cùm in ijs, quæ omnium opinione reip. vtilia esse videbantur, egregiam operam nauasset, minus feliciter rem gessit, minúsque optabilem suorum consiliorum exitum habuit. huic tali non euentum crimini dare atque exprobrare, & propter eam causam ei maledicere, sed pari potius cum eo molestia affici cónuenit. Atque hæc omnia non solùm in legibus ita se habere reperientur, verùm etiam ipsa natura legibus non scriptis, & communibus hominum sensibus sanxit ac definiuit. Itaque AEschines vsque adeò omneis mortaleis acerbitate, & calumniandi studio superauit, vt etiam ea, de quibus ipse, tanquam de casibus aduersis, ludibriísque fortunæ disserebat, mihi criminis loco ponat. Et præter alias eius in me iniurias, proinde quasi sincerè, simpliciter, & optimo erga vos animo omnia dixerit, vos hortabatur & monebat, vt, me diligẽter obseruetis, & caueatis, ne ego vobis fucum faciam, ne vos verbis insidiosis inducam, & circumueniam, cùm me callidum ac versutum, planum, magum, sophistam, & alijs nominibus per contumeliam nominaret: quasi verò siquis ea prior alteri obiecerit, quib⁹ ipse sit affinis, ita re vera sit futurum, quasíque auditores iam, quis sit is, qui dicat, attẽdere sint desituri. Ego verò cùm sciam, istum vobis omnib⁹ esse notum, tum mihi nequaquam dubium est, quin hæc multo magis in istum, quàm in me conuenire existimetis. Neque illud me fugit, quæcumque in me est dicendi facultas: (demus enim esse aliquam: quanquam video equidem magna ex parte, eorum, qui dicunt, dicendi facultatis & eloquentiæ, auditores esse dominos, & moderatores: nam vt cuiusque orationem libenter auditis, & quali quenque beneuolen-

tia complectimini, talis de eius, qui dicit, prudentia, & eloquentia existimatio est.) siqua igitur & mihi huiusmodi dicendi exercitatio, facultásque suppetit, hāc vos profectò reperietis omnes in rebus communibus procurandis semper esse versatam: semper omnium iudicio expositam vobis publicè profuisse, nunquam ne priuatim quidem cuiquam obfuisse: istius autem eloquētiam contrà semper vobis perniciosam fuisse, non eò solùm, quòd causam hostiū agere cōsueuit: sed quòd siquis aliqua in re voluntatē, aut animū eius aliquo loco offendit, hos omni dicendi ratione oppugnare conatur. ita neq; iustè, neque ex vsu ciuitatis eloquentia vtitur. Non enim virum fortem, & bonum ciuem cónuenit à iudicibus, qui de rep. disceptaturi conuenerunt, postulare, vt odiū, aut inimicitias cum aliquo susceptas, aut alium quempiam animi affectū sua sibi sentētia expleant, atq; confirmēt: neq; ira, ac dolore animi impulsum, quenquā in iudiciū vocare, sed primùm operā dare, vt ingenio sit præditus his affectib⁹ libero ac soluto: deinde, si necessitate talis esse cogatur, eniti, & cōtendere, vt naturę acerbitatē cōsilio & ratione mitigasse, atq; ad mediocritatē quandam reuocasse videatur. Quibus igitur in rebus oratorem, & reip. moderatorem, vehementem atque asperum esse oportet? in ijs, in quibus aliquid, quod ad summam remp. pertinet, in discrimen venit: in ijs, in quibus aliquid rei populo cum aduersarijs intercedit: in ijs, inquā. hęc enim sunt viri fortis, & generosi, boníque ciuis. Eum autem, qui nullius vnquam publici criminis, addam ne priuati quidem, neque nomine ciuitatis, neque suo, sibi putauerit à me pœnas esse repetendas, nunc venire paratum atque instructum, vt coronam & laudem criminibus falsis inferendis, mihi adimat, & idcirco tot iam verba consumsisse: priuatarum inimicitiarum, & inuidiæ, & angusti paruíque animi, nullius quidem certè probitatis signum est. omissa verò mecum contentione, in hunc incurrere, hoc vno genere profectò, cetera omnia vitia inclu-

clusa continentur. Ac mihi vidêris, AEschina, istorum verborum multitudine cùm laterum tuorum firmitatem ostentare, vocisque tuæ specimen edere velles, idcirco hanc accusationem suscepisse, non quòd vllius criminis pœnas expetere in animo haberes. verùm non oratoris oratio, AEschina, neque vocis magnitudo & contentio magni æstimanda est, sed iudicio ac voluntate cum populo consentire, & conspirare, eosdémque odisse atque amare, quos patria: hæc magna sunt, hæc quantiuis facienda sunt, hæc quantóuis pretio atque honore digna sunt. Nam qui hoc animo est, is omnem dicēdi rationem ad beneuolentiam & caritatem ciuium conferet. At qui eos, à quibus sibi periculum aliquod ciuitas prospicit impendêre, colit, & omni officiorum, obsequiorúmque genere deuincire conatur, non eadem naui, atq; populus, vehitur: non eundem portum, quem populus petit: neq; igitur eandem spem salutis, & incolumitatis, quam populus, habet. Vides quàm longè alia mea sit ratio? Ego enim easdem vtilitates, atq; hi, mihi proposui: nihil mihi eximium, nihil præcipuum asciui, aut quæsiui. Túne idem de te prædicare potes? quomodo? qui statim post pugnam legatus ad Philippum proficiscebaris: cuius in persona calamitatum, quæ temporibus illis patriæ nostræ acciderunt, causa consistebat: idque cùm superiore omni tempore, hoc, vt omnes sciunt, munus recusasses, ac subterfugisses. Atqui, quis fucum facit? nō qui aliud sentit, aliud loquitur? Cui verò præco malè precatur meritò, iuréque optimo? non tali homini? quod porrò crimen grauius oratori obijcere quisquam potest, quàm quòd non eadem loquatur, atque sentiat? Tu igitur talis repertus es. Et tu cum istis factis audes vocem mittere? Audes horum ora intueri? Vtrùm existimas hos nescire qui sis? an vsque adeò somnolentos atque obliuiosos esse censes, vt non meminerint, quæ tu inter contionandum, apud populum olim loquebare, cùm tibi exitium precabaris, cùm omni exsecratione caput tuum deuouebas,

cùm deierabas nihil tibi rei esse cum Philippo: sed me hoc tibi falsum crimen inferre, priuatis inimicitijs impulsum, odióque incitatum? Allato autem de pugna nũtio, jis, quæ antè dixeras, neglectis, subitò amicitiam & hospitium tibi cũ Philippo intercedere profitebaris ac præ te ferebas, mercede accepta hæc nomina transferens & commutans. Nam quæ'nam potest afferri æqua, aut iusta causa, propter quam AEschinæ Glaucotheæ tympanistriæ filio, vel hospes, vel amicus, vel omnino notus esset Philippus? Equidẽ non video: sed ei tuas operas ideo locauisti, vt horum cõmoda labefactares. Et tamẽ cùm ita manifestò ab his proditor deprehensus tenearis, cùm in te ipsum post euenta rerum index extiteris, mihi maledicis, eáque obijcis, quorum culpam in quemuis potius, quàm in me conferendam esse reperies. Multas sanè res, & magnas, & præclaras, me duce atque auctore, & gerẽdas suscepit, & feliciter gessit nostra ciuitas: quarum eam non esse oblîtam, hoc argumento est, quòd cùm populus aliquẽ suffragijs creare vellet, qui orationem de laudibus mortuorũ haberet: ijs ipsis diebus, quibus recens erat cladis acceptæ memoria: non te creauit, quamuis delatus, ac nominatus esses, quamuis vocis magnitudine præstares: non Demadem, qui modò pacem fecerat, non Hegemonem, non quenquã denique alium vestrûm, sed me. Et cùm tu in medium prodijsses, & vnà Pythocles, quo ore, dij immortales, quo aspectu, quo spiritu, qua immanitate? & cùm his ipsis criminibus, quibus nunc tu solus, vos tum communi studio me insimularetis, cùm eadem maledicta in me congereretis: tanto etiam cupidius me illi muneri suis suffragijs præfecit. cuius rei causam tametsi tibi minimè obscuram, ego tamen breuiter explicabo. Nouerat ille meam in se beneuolentiam, meúmque, quod in rebus agendis adhibebam, studium: nouerat ídem scelus, improbitatem, atque iniustitiam vestram. Nam quæ bonis & optatis reip. temporibus iurati negabatis, hæc eadem vbi quid offenderat ci-

uitas, profitebamini. Eos igitur, qui in communibus omnium incommodis, & rebus aduersis arbitrabantur se suarum nefariarum cogitationum ac sententiarum licentiam, impunitatémque esse consecutos, re iandudum hosteis fuisse, tunc quidem denique seipsos aperuisse atque indicasse existimauit: simulque conuenire putauit, eum, qui de mortuorum laudibus dicturus, eorúmque virtutem verbis ornaturus esset, neque contubernalem, neque fœderatum ijs, qui aduersus illos instructa acie depugnasset, fuisse: neque cùm illic vnà cum ijs, quorum manibus Græciæ propugnatores essent interfecti, ob Græcorum calamitatem intemperanter epulatus & comissatus esset, laudesque deorum cecinisset, huc reuersum honore affici: neque inflexa voce, & fictis lacrymis, simulatóque dolore illorum fortunam deplorare, sed ex animo cum populo vniuerso verè dolere: quod quidem cùm in se, tum in me esse videbat, in te verò minime. Neque porrò ita fecit populus: mortuorum autem parentes & fratres ad funus procurandum, exsequiasque cohonestandas à populo electi, secus: sed cùm eos epulum dare oporteret, hoc ipsum tanquam apud eũ, qui mortuos summa necessitudine attingeret, quemadmodũ alia fieri solent, apud me fecerũt. Neq; iniuria. Genere enim singuli singulis erãt me propinquiores: cõmuniter autem vniuersis nemo certè fuit coniunctior. Nam, cuius intererat maximè illos benè rem gerere, & saluos esse: is posteaquàm tristem illum casum subierũt, (quem vtinam effugissent,) doloris omnium interitu suscepti partem maximam tulit. Recita verò isti hoc epigramma, quod eis ciuitas inscribi voluit, vt ex hoc etiam intelligas, AEschina, te calumniatorem importunum, & fascinatorem sceleratum esse. RECITA.

Pro patria hi tellure sua quondam arma tulere,
Protinus hostileis & repulere manus.
Dum inter se certant de virtute, atque timore,
Proiecere animas, iudice morte, suas:

Ne Græci seruile iugum ceruice ferentes,
Regum se gemerent sceptra superba pati.
Patria sed gremio cæsorum amplectitur ossa:
Nam legem humanis hanc deus imposuit.
Nil peccare deûm est, neque falli in rebus agendis,
Sed fati legem non licet effugere. Audis, AEschina, etiam in hoc ipso epigrammate, nihil peccare, neque falli in rebus agendis, deorum esse? potestatem rei bene gerendæ ab ijs, qui dimicant, ac decertant, non suasori, sed dijs immortalibus ascripsit. Quid igitur mihi, ò scelus, his de causis maledicis, eáque lóqueris, quæ dij immortales in tuum caput conuertant? Ex multis igitur alijs, quæ mihi crimini dedit, & quæ in me mentitus est AEschines, vnũ summopere demiratus sum, quòd, cùm ea, quæ tum ciuitati nostræ acciderunt, memoria repeteret, non ea mente fuit, quam vir bonus, ac iustus, amánsque patriæ ciuis præstitisset: non illacrymauit, non ingemuit, non vllo tali dolore commotum animum habuit, sed cùm lætitia exsultans vocem contenderet, inflatóque & quàm maximè laxato gutture clamorem tolleret, putabat se videlicet, magnam mihi oratione sua inuidiam conflare: verùm suo ipsius indicio declarabat, se non similem, atque alij, ex rebus aduersis molestiam capere. Atquî is, qui sibi leges, & remp. curæ esse dicit, quemadmodum iste nunc, si nihil aliud, hoc certè habere debet, vt ijsdem rebus doleat, ac lætetur, quibus populus: neq; id reip. administrandæ consilium capiat, institutúmque sequatur, propter quod se in aduersariorum præsidijs ac partibus collocasse videatur: quod tu nunc apertè fecisse videris, qui me omnium, quæ acciderunt, causam esse: qui ciuitatem, me suasore & impulsore, in has molestias incidisse criminaris, cùm vos Athenieñses, neq; mea administrandæ reip. ratione adducti, neq; meum cõsilium, aut institutum secuti, sed vestra sponte Græcis auxilium ferre cœperitis. Nam si mihi hoc à vobis daretur, vos me suasore atque auctore toties ei dominationi restitisse,

quæ

quæ in Græcos comparabatur, maius mihi à vobis præmium, quàm quæ vniuersa ceteris olim dedistis, tribueretur. sed neque ego hæc vnquam de me prędicarim (vobis enim iniuriam facerem) neque vos, sat scio, si dicerem, concederetis: & si iste iustum se erga vos præbere vellet, nunquam inimicitijs, quas mecum gerit, impulsus, laudes omnium laudum vestrarum maximas, & ornamenta vestra omnium prima, eximia, ac præcipua, imminueret, detereret, maledictis calumnijsque vexaret. Sed quid ego hæc in eo de isto queror, cùm alia multo atrociora, & propter quæ iustius meam vicem deplorare debeam, crimina, eáque falsa mihi intulerit? Nam qui mihi studium Philippi, ò terra, ò dij immortales, obijcit, quid hic dicere non audeat? Atqui per Herculem, reliquósque omneis deos immortaleis iuro, si falsis, confictísque criminationibus, & contumeliosis vocibus, quæ ab inimicitijs proficiscuntur, de medio sublatis, spectare verè oporteat, qui sint ij re vera, quibus ea, quæ acciderunt, meritò, atq; optimo iure omnes attribuere debeāt: homines istius similes, non mei, in vnaquaque ciuitate huic culpæ affines fuisse reperientur: qui quo tempore res Philippi erant adhuc infirmæ, & admodum humiles, ac pusillæ, vobis sæpe prædicentibus, hortantibus, denique docentibus quid esset optimum factu, turpis sui quęstus gratia, vtilitatem Græcorum communem prodiderunt, cùm suos ciueis singuli dolo circumuenirent, deciperent, corrumperēt, eò vsque quoad eos in seruitutem redegerunt, Thessalos Daochus, Cinea, Thrasydæus: Arcadas Cercida, Hieronymus, Eucalpida: Argiuos Myrtis, Teladamus, Mnasea: Eléos Euxitheus, Cleotimus, Aristęchmus: Messenios Neo, & Thrasylochus, Philiadæ dijs iniqui, & impij hominis filij: Sicyonios Aristratus, Epichares: Corinthios Dinarchus, Demaratus: Megarenseis Ptœodôrus, Elixus, Perilaus: Thebanos Timolaus, Theogíton, Anemœta: Eubœos Hipparchus, Clitarchus, Sosistratus: dies me deficiat, si velim omnia

proditorum nomina persequi. Hi omnes, quos dixi, Athenienses, iisdem sensibus ac voluntatibus præditi, iisdémque consilijs in suis patrijs vsi, quibus apud vos isti, scelerati homines, atque impuri adulatores, Græciæ pestes ac furiæ, qui suas singuli patrias mutilarunt, libertatem suam antea Philippo, nunc Alexandro, auro accepto propinarunt, ventre, & abdomine, & obscenis voluptatibus vitam beatam metientes. Libertatem verò, & nulli domino parêre, qui prioribus illis Græcis erant fines bonorum, & regulæ, quibus suas actiones dirigebát, funditus euerterunt. Huius igitur tam turpis, & flagitiosæ, omniúmque sermone celebratæ conspirationis, & improbitatis, immò verò, Athenienses, (si nugis omissis seriò loqui volumus) proditæ Græcorum libertatis, cùm ciuitas nostra apud omneis homines culpa vacat, quod quidem ad meam reip. administrandæ rationem attinet: tum ego apud vos omni iusta reprehensione careo. Et tu à me quæris, cuius virtutis ergò præmium postulem. Ego igitur tibi respondeo, quia cùm omnes omnium Græcorum magistratus, & reip. gubernatores, quos quidem à te numerare potes, corrupti fuerint antea à Philippo, nunc ab Alexandro, me neque inclinatio temporum, neque verborum blanditiæ, neque promissorum magnitudo, neque spes, neque metus, neque gratia, neq; aliud quippiam excitauit, neque impulit, neque induxit, vt quicquam eorum, quæ statuissem vel ad ius, vel ad vtilitatem patriæ pertinere, proderem: neque quæ vnquam his suasi, quemadmodum vos, ad lucrum, quasi in trutina, vergens ac propendens suasi: sed quęcũque à me gesta sunt, à recto, iusto, integro, incorrupto iudicio, animóq; profecta sunt. & cùm omnium mortalium, qui mea ætate vixerunt, maximis rebus præfuerim, has omneis salutariter, & iustè administraui: propter has causas pręmium mihi deberi dico. Hos autem muros, has fossas, quibus vrbẽ cinxi ac muniui, quę tu maledico dente appetebas, ac lacerabas, gratia quidem ac laude digna esse iudico. quid

nì?

ni? sed tamen hæc ipsa in meis rebus gestis non numero. Non enim lapidibus, neque lateribus vrbem muniui, neque ob has res maximos mihi spiritus sumo: sed si munitiones meas iustè & attentè considerare velis, arma, castella, portus, vrbeis, naueis, cõplureis equos, & qui pro his propugnarent, milites, reperies à me esse ciuitati com paratos. His ego propugnaculis Atticam sepsi, atq; armaui, quãta maxima, humana ratio excogitare & consequi potuit: his totius Atticæ fineis vltimos, non Piræei, aut vrbis ambitum tantùm communiui. Neque verò cõsilijs aut cogitatis Philippi victus sum (longè aliter est) neque copijs, neque apparatu, sed sociorum nostrorum duces, & copiæ fortuna fuerunt inferiores. Quibus argu mentis hæc demonstrare possum? illustribus, & luculentis: quę, obsecro, sic vobiscum ipsi considerate. Quid beneuolum & amantem patriæ ciuem facere oportebat? quid eum, qui omni prouidentia, cura, studio, ac iustitia in administranda rep. patriæ consuleret? non à mari Atticam Eubœa tegere ac munire? à mediterraneis regionibus, Bœotia? ab ijs locis, quæ ad Peloponnesum spectant, nationibus huic finitimis? non quemadmodum res frumentaria vsque ad Piræeum, mari vndique pacato, subueheretur, prouidere? & alia quidem iam antea quæsita & parta tueri & conseruare, auxilijs mittendis, dicen do, decernẽdo, Proconnesum, Cherronesum, Tenedũ? alia vt nobiscum pacem & amicitiam confirmarent, nobiscúmque societate coniungerentur, efficere, Byzantium, Abydus, Eubœa? & maximas hostium opes, ac vireis, maximáque robora ijs demere ac detrahere? quæ deessent nostræ ciuitati, ea acquirere, atque adiungere? Hæc igitur omnia meis decretis, atque institutis, quæ in rep. gubernanda tenui, perfecta sunt: quæ siquis, Athenienses, sincere, ac sine inuidia ponderare, & considerare volet, recte ac sapienter à me esse cogitata, & summa cum fide ac iustitia administrata reperiet: nulli⁹ rei tempus à me neque prætermissum, neque ignoratum, neque

proditum, &,quæcunque in vnius hominis potestatem, mentémque venire potuerunt, omnia à me esse summa diligentia, curáque præstita. Quòd si aut dei alicuius potentia, aut fortunæ vis, aut imperatorum vitium, aut eorum, qui vestras vrbeis prodiderunt, nequitia & improbitas, aut hęc simul omnia summam rem profligarunt ac labefactarunt, vsque eò donec funditus euerterũt, quódnam Demosthenis crimen est? At si qualis ego erã apud vos, pro eo gradu ac loco, in quo fueram à vobis collocatus, talis vir vnus in vnaquaque Græcarum vrbium extitisset, immò verò si vnum sólum Thessalia, vnum Arcadia habuisset, qui idem, quod ego, sentiret: nullus neque eorum Græcorum, qui sunt extra Thermopylas, neque eorum, qui sunt intra, his calamitatibus, in quibus nunc versatur, affectus esset, sed omnes essent liberi, suísque legibus vterentur, ab omni denique metu vacui, securi, otiosi, ac beati tutò suas ipsorum patrias incolerent, tantorúmque ac talium bonorum gratiam, propter me, vobis & ceteris Atheniensibus haberent. Atque vt intelligatis facta verbis, quibus vtor, multo esse grandiora atque ampliora, ideò quòd inuidiam pertimescam: tolle hos libellos, & recita numerum auxiliorum, quæ me auctore, ac suasore, meis decretis ciuitati quæsita sunt. Recita. NVMERVS AVXILIORVM EX DEMOSTHENIS DECRETIS. Hæc & talia, AEschina, virum fortem & bonum ciuem agere oportet: quæ si benè ac feliciter cessissent, ô dij immortales: nobis haud dubie esse maximis ac potentissimis licuisset, idque sine cuiusquam iniuria: sed quando secus áccidit, at certè hoc nobis reliquum est, quòd bene de nobis omnes homines existimãt, quòd nemo neque ciuitatem nostram, neque eius institutum, consiliúmque reprehendere potest, sed fortunam duntaxat vituperare, quæ talem rerum exitum esse voluerit. Hæc igitur bonus ciuis agere debet, non, cùm à commodis & rationibus ciuitatis desciuerit, seséque aduersarijs mercede locauerit, pretióque fidem suam addixerit,

ho-

hostium potius, quàm patriæ temporibus operam nauare atque inseruire: neque eum, qui res ciuitate dignas tum dicere, tum decernere instituerit, atque ausus sit, &, quod caput est, in his cōstanter permanserit, in inuidiam vocare, & calumnijs onerare: si priuatim ab aliquo læsus sit, hoc meminisse, animóque penitus infixum tenere, neque otio ac silentio iniusto, infido, atque insidioso delectari: quod tu sæpenumerò facis. est enim, si nescitis, Athenienses, est aliquod otium iustum, & vtile ciuitati, quod vos plerique ciues sincere & simpliciter amplectimini. Sed non hoc iste otium adamauit: nihil minus. verùm remouens se, vbi ei commodum fuerit, (sæpe autem commodum est) ab administratione reip. speculatur & obseruat, quo tempore aut vos alicuius oratoris assiduè dicentis ceperit satietas, aut aliquid aduersi, fortuna reflante atque aduersante, acciderit, aut aliunde denique quippiam durius ac tristius euenerit: (multa autem huiusmodi fert vita) deinde hoc ipso tempore ex otio repente, tanquam ventus ac turbo coortus, orator existit, & voce exercitata, magnóque nominum ac verborū aceruo congesto & collecto, hæc ipsa connectit & contexit, & articulatè, ac distinctè, vnoque spiritu pronuntiat: quę neque vnquam prodesse, neque cuiusquam rei bonæ fructum cuiquam ferre, sed contrà calamitatem cuilibet ciui importare, turpitudinémque ac dedecus inurere consueuerunt. Atqui commentationum ac studiorum tuorum, AEschina, si quidē ab animo casto, integro, ac pio, & eo, qui vtilitatem patriæ sibi propositam habeat, nascerentur, fructus lætos atque vberes, & generosos, & omnibus vtileis extare oportebat: ciuitatum societates, pecuniæ facultates, & vectigalia, mercatuum structuras, legum salutarium rogationes, cum certis atque apertis patriæ hostibus susceptas inimicitias, & contentiones. hæc enim superioribus illis temporibus exquiri, spectarique solebant: & præteritum tempus viro forti, & bono ciui suæ virtutis declarandæ ac probandæ sæpe facul-

tatem dedit: quo in numero nuſquam tu reperieris eſſe verſatus: non primus, non ſecundus, non tertius, non quartus. quid tempus fruſtra contero? nō quintum, non ſextum, non milleſimum locum in eis obtines. non, inquam. Nam ſi ita eſſet, tuis rebus geſtis, tuaque opera opibus, copijs, honore, dignitate, ciuitas aucta eſſet: quod de te prædicare non potes. Quæ enim ſocietas te auctore ciuitati comparata eſt? quod auxilium? quæ beneuolentiæ, gloriæ'ue poſſeſsio quæſita? quæ tua legatio, quæ procuratio, aut adminiſtratio abs te commemorari poteſt, propter quam ciuitatis gloria ſit propagata? quæ res vrbana, & domeſtica: quę forenſis, & externa, cui tu prę fueris, tua opera correcta, aut ſanata eſt? quæ triremes, quæ tela, quæ naualia, quæ vrbis munitio, qui muri, quis equitatus abs te quæſitus eſt? quam ad rem denique vſui es? quando vel locupleteis, vel tenueis, atque egenteis communi in ciueis ſtudio & amore prouectus, pecunia iuuiſti? nunquam. Verùm, dicet aliquis, ſi nihil eorum ab AEſchine re præſtitum eſt, at non deeſt ei ſtudium, & beneuolentia, & animus in patriam munificus ac liberalis. Vbi? quando? qui, ô omnium mortalium iniuſtiſsime, ne tum quidem cùm ij omnes, qui aliquando è loco ſuperiore verba fecerunt, ad ſalutem publicam pecunias erogabant: & poſtremò Ariſtonicus pecuniam incolumitatis amiſſæ recuperandæ gratia coactam effundebat: ne tum quidem prodiſti, neque quicquam erogaſti. non quòd egeres: quid minus credibile? cui hereditas teſtamento Philonis ſoceri amplius quinque talentorum venit: qui duo talenta habebas tibi à decuriarum magiſtris dono data, eò quòd legē de triremium præfecturis abrogaras ac ſuſtuleras. Verùm ne, dum mihi noua ex ſuperiore ſemper naſcitur oratio, ab inſtituto ſermone longius degrediar, hæc miſſa faciam. ſed ex his certè perſpicuum eſt, non tibi rei nummariæ difficultatem, aut rei familiaris inopiam, quominus liberalitatem in remp. cōferres, impedimento fuiſſe: ſed quòd tuum illud inſtitu-

tum

tũ tenere ac seruare fœderes, ne quid abs te fieret, quod ijs obesset, quorum arbitratu remp. administras. Quibus igitur in rebus acer & fortis es? quando magnificus ac splendidus es? vbi in hos aliquid dicere oportet, hîc tu clarissimè vociferaris, hîc magnopere vocem contendis, hîc acerrima memoria præditus es, hîc actor es optimus tragicus, & germanus Theocrines. Et verò etiam hoc loco de præstantibus in rep. viris, qui olim fuerunt, mentionem facis: & rectè facis, neque reprehendo. Verumtamen iniquum est, Athenienses, AEschinem sibi assumta, atque in se deriuata ea, quam in mortuos habetis, beneuolentia, me, qui vobiscum viuo, cum illis componere & comparare. Quis enim omnium mortaliũ nescit, viuos omneis inuidia fere aliqua laborare, alios maiore, alios minore? in mortuos autem, ne eorum quidem, qui inimici fuerunt, vllum odium remanere? Cùm hæc igitur ita sint comparata natura, cum ijs, qui ante me vixerunt, spectabor & comparabor? Minime. Nam neque iustum, neque æquum est, AEschine, sed tecum & cum alio, quem voles, eorum, qui eadem, atq; tu, reip. administrandæ consilia ceperunt, idémque vitæ genus secuti sunt. Iam mihi illud quoque vide & considera, vtrùm honestius ac melius sit ciuitati, propter antiquorum beneficia, quæ sunt ingentia atq; immensa: (nemo enim consequi dicendo possit, quanta sint) eorum, quæ hac ætate in patriam conferuntur, nullam gratiam referre, eáque cõtumeliosè vexare, ac vituperare, an ijs omnibus, quorum beneuolentia in rebus agendis claruerit, honorem, & humanitatis fructum populum Atheniensem impertire. Atqui, Athenienses, si mihi hoc quoque dicendum est, mea reip. administrandæ ratio, meum consilium, atq; institutum (siquis diligenter & rectè attenderit) illorum, qui tum laudabantur, rationibus, ac voluntatibus simillimum esse, idémque spectare reperietur: tuũ autem, eorum, qui tunc taleis viros calumniabantur, amentiæ maximè geminum. Perspicuum est enim nonnullos fuisse

etiã temporibus illis, qui cùm suæ ætatis homines maledictis insequerẽtur, & vituperarent, veteres laudabant: rem maleuolentiȩ, & liuoris, & calumniȩ plenam, & eandem, quam tu facis, facientes. Et tamen audes dicere, me nulla ex parte illorum esse similem. At tu similis es, AEschina? at frater tuus? at aliquis ex ijs, qui nunc sunt, oratoribus? Ego enim prorsus nego esse quenquam. verùm cum ijs, qui viuunt, & meis æqualib⁹, ô vir bone, vt nihil aliud grauius dicam, me viuentem compara, quemadmodum & alia omnia, poëtæ, chori, palæstritæ conferri inter se consueuerunt. Philammo non quia Glauco Carystio, & nonnullis alijs athletis, qui antea fuerunt, erat inferior, atque infirmior, idcirco ex Olympico certamine sine præmio, coronáq; discessit: sed quia eorum, qui certamen cum ipso inierant, optimè pugnauerat, & corona donabatur, & voce præconis victor pronuntiabatur. Tu quoque me cum his, qui nunc sunt, oratoribus compone, & specta, tecum, & cum quo alio voles ex omnibus. Nulli cedo: quorum omnium cùm quod ciuitati maximè expediret, deligere ac sumere licebat, cúmque omnibus in medio positum certamen erat, quis beneuolentia erga patriam ceteris præstare videretur: ego opinione ac iudicio totius populi res optimas dicebam, ac decernebam: meis decretis, meis legibus, meis legationibus omnia agebantur, & transigebantur: nemo vestrûm vsquam comparebat, nisi si fortè his insultare, atque obtrectare oporteret. sed posteaquàm ea euenerunt, quæ vtinam prohibuissent atque auertissent dij immortales, & cùm iam non suasores, sed homines, qui imperata facerent, ac seruirent, homines contra patriam mercedem accipere parati, homines assentãdi studio dediti, quærebantur: tum tu, & istorum tui similium vnusquisque suo loco atque ordine magni, & splendidi, & magnifici diuitiarum ostentatores volitabatis. Ego verò tenuis, atque infirmus eram, fateor. At certè beneuolentia erga populum vobis superior. Hæc autem duo ciuem moderatum

ac temperatum natura habere oportet: (ſic enim maximè mihi de memetipſo dicere poſſe ſine inuidia videor) in poteſtate & imperio, voluntatem & conſilium animi magnitudinis, & primi gradus in Græcia ciuitati tueri & conſeruare: in omni tempore, omníque actione beneuolentiam erga ciueis retinere. In hac enim, natura: in potentia autem, opibus, & viribus fortuna dominatur. Hãc igitur, quam dico, beneuolentiam apud me perpetuò manſiſſe reperietis. Cui rei hoc erit teſtimonio, quòd neque cùm ad ſupplicium depoſcebar, neque cùm in iudicia Amphictyonica vocabar, neque cùm hoſtes minis me terrebant, neque cùm promiſsis inuitabant, neque cùm ſceleratos iſtos in me tanquam feras immaneis immittebãt, meam erga vos beneuolentiam vllo modo deſerui. Nam ſtatim ab initio hanc iuſtam ac rectam reip. gerendæ rationem, ac viam ſecutus ſum, vt honoribus, potentiæ, gloriæ ciuitatis ſeruirem, hæc augerem, cum his ſtarem, pro his propugnarem. Neque verò aliorum rebus ſecũdis elatus, hilarus, atque alacer in foro inambulo, dexteram tendens, & iſtis læta nuntians, quos illuc perlaturos ſperem: ſecundis aliquibus rebus ciuitatis auditis cohorreſco, ingemiſco, triſtis capite demiſſo terram intueor, quemadmodum impij iſti, qui ciuitati noſtræ obtrectant, quaſi verò non ſibi ipſi, cùm hoc faciunt, obtrectent: deinde foras ſpectant, alióque reſpectum habent: & vbi Græcis fortuna duriore conflictatis, aliquis alter fortunæ benignitatem expertus, rem ſuam bene geſsit, hæc collaudãt, bene factum exclamant, & vt propria ac perpetua ſit hæc felicitas, aiunt operã dare oportere. Nolite vos, obſecro, ò dij omnes immortales, nolite hæc numine, nutúque veſtro comprobare: ſed potius maximè quidem iſtis meliorem mentem date: ſin autem eorum inſanabilis amentia eſt, iſtos quidem ipſos ſeparatim terra, maríque funditus, & immatura morte delete ac perdite: nobis verò reliquis ciuibus, & in pręſens tempus impendentium ceruicibus noſtris terrorum, ac peri-

culorum celerrimam liberationem: & in posterum, secundum vitæ sine vlla offensione cursum, stabilémque salutem date.



DION. LAMBINI IN IMAGVNCVLAM ARISTOTELIS ARGENTEAM, quæ eadem Michaelis Hospitalis Galliæ cancellarij effigies videtur.

*AEcine Aristotelis magni, clarique figura*
Illius est, cui se rerum natura creatrix
Nudauit totam, talos à vertice ad imos?
Principia, & causas rerum qui præ omnibus vnus
Perspexitque, & perspectas miro ordine princeps
Tradidit, & docta ratione, & tramite prono?
Qui ingenia, & mores hominum, affectúsque animorum
Cognouit varios, formam, & naturam animantum
Cunctarum penitus vidit, victúmque, genúsque?
Qui quibus agrestes populi, gentésque feroces
Legibus & iussis, quo iure, & more regantur,
Et quibus ætatem tranquillam degere possint:
Rursum quæ tristem importent mala ciuibus ægris
Interitum potuit Graijs exponere chartis?
Est'ne ergo illius hæc argento impressa figura?
Atqui cùm frontem, atque oculos, narísque, capútque
Temporáque, & mentum aspicio, collustróque totam
Luminibus formam, liquisse Acherunta videtur
Magnus Aristoteles, tenebrísque in luminis oras

Emersisse

Emersisse, iterum exortus, nobisque renatus.
Namque ego in hac parua effigie te agnosco, Michaël,
Te venerande senex, cognomen ab hospite ducis
Qui gentile tuum: cerno, inquam, in imagine prisca
Te nouum Aristotelem: tu illum omniparentis alumnum
Naturæ eximium non solùm fronte, genisque,
Et naso: sed, quod magis est mirabile habendum,
Mente, animóque refers, & moribus, ingenióque:
Hoc mihi tu tantùm differre videris ab illo:
Ille quibus populi iussis, & legibus æuum
Degere tranquillum, ac tutum, optatáque potiri
Pace queant: quibus edictis sua regna, quibúsue
Consiliys reges regere, aurigaréque possint,
Præscripsit: tu docte senex, tu regna ruinæ
Proxima consilio fulcis. Cùm Gallia nuper
Sanguinearum irarum æstu concussa labaret:
Sanguine ciuili cùm vrbes, campique natarent:
Passim cùm Germanus atrox, sæuúsque Britannus:
Et, qui plus astu, quàm robore, pollet Iberus,
Prædabundus, ouans, per pinguia Gallica rura,
Per lætas segetes spoliys volitaret onustus:
Cum ruerent vrbes latè, cum mœnia, & arces
Tormentis validis magno labefacta fragore
Conciderent: cùm rex genus alto à sanguine regum
Pestifera (impauidus licet, & formidinis expers)
Sed tamen horreret magnus puer arma suorum:
Cùm regis vocem ciuili imbuta cruore
Spicula iactantes manibus se audire negarent
Præcipites rabie ciues, trepidíque furore:
Tu venerande senex sapienti pectore, & alta
Mente, & consiliys rectis, linguáque diserta,
Et suada, & doctis dictis respersa cruore
Arma extorsisti populo irato, atque furenti:
Tu tantos hominum motus, támque horrida bella
Ciuibus armatis aliys componere inermus
Sciuisti tandem, & tantos sedare tumultus.

FINIS

